DE PRAEPOSITIONUM USU APUD PINDARUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA LUDOVICIANA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS BOSSLER

DARMSTADINUS.

DARMSTADII

TYPIS CAROLI GUILELMI LESKE.

MDCCCLXII.

LUDOVICO LANGE

PROF. ELOQU. P. O. GISSENSI

GRATI ANIMI TESTIFICANDI CAUSA

D. D. D.

AUCTOR.

Pindarus in usu praepositionum tam propria et singularia praebet, ut non absonum mihi visum sit de hac proprietate agere. Si jam ab hac parte propositum nostrum commendatum est, etiam ab altera parte commendemus: neque enim quemquam Pindaricorum carminum studiosum fugerit, quantum vates Thebanus effecerit et significante vi et collocatione praepositionum; et ut in omnibus ipsisque minimis, ita in praepositionibus quoque eius artem cognosci posse nemo non concesserit.

De legibus autem, ex quibus praepositionum usus apud Pindarum pendet, nonnulla praemonenda videntur propterea quod in dissertatione ipsa perraro hanc rem occasione oblata tangam. Pendet praepositionum usus apud Pindarum ex vi poëtica. Quae quum maxime in his duobus cognoscatur, in elatione et sublimitate sermonis atque in verborum gravitate ea quae sensibus percipitur, ex his duobus variarum quoque rationum, quas Pindarus in usu praepositionum secutus est, origines ducendas esse puto. Facile enim intellegitur, praepositionum earumque et nominibus additarum et verbis praefixarum significationem ex gravitate et — ut ita dicam — concreta vi verborum, collocationem ex sublimitate sermonis vel maxime pendere. Ita fit ut poëta significationem praepositionum primariam quam maxime servet et ne ibi quidem, ubi translata significatione utitur, speciem primariae et concretae quam dicunt significationis plane perdat. Quod non solum ubi praepositiones

nominibus junguntur, sed etiam in verbis cum praepositionibus compositis cernitur. Eadem vero de causa verba composita, quae apud ceteros poëtas saepissime leguntur, Pindarus non amat; nam simplex verbum, cui additur praepositio cum nomine, multo magis praebet imaginem concretam et sensibus subjectam, quam compositum verbum, quod non sensibus, sed grammatica potius et abstracta ratione percipitur. Sed ut ad collocationem praepositionum progrediamur, jam diximus ex sublimitate sermonis in hac re omnia pendere; non patitur ea frigidam et jejunam collocationem praepositionum vulgarem, sed cogit poëtam, ut quae ex grammatica ratione conjungenda erant disjungat et separet eaque re efficiat, ut particula ipsa per se quaeque efficax animos commoveat. Neque parvi momenti in hac re est rhythmica carminum compositio; haec enim disjuncta quasi vinculis rursus conjungit et quae dura videntur suavi gratia circumfundit. Quae leges spero fore ut ex ipso conexu eorum, quae disseremus, pateant neminique improbentur.

Disseremus autem primum de proprietate, quae in significatione praepositionum Pindaricarum inest, et de ratione, quae inter verba composita et verba simplicia, quibus praepositio cum nomine additur, intercedit, tum de collocatione praepositionum, maxime de tmesi et de hyperbato. Ubi vero de significatione praepositionum agemus, quum singulae per se spectandae sint ideoque ad ordinem nihil referat, primo loco eas praepositiones tractabimus, quae uni casui jungi solent, tum quae duobus, denique quae tribus casibus adduntur; quo quidem ordine ipso simul hoc efficitur, ut praepositiones, quales sunt *ἐν* et *σύν*, *κατά* et *ἀνά*, *ἀμφί* et *περί*, altera post alteram, id quod optandum videtur, tractari possint.

I.

De significatione praepositionum.

ΕΙΣ.

Usitatissima praepositio *εἰς* fere ubicunque formam *ἐς* apud Pindarum tenet; *εἰς* septies tantum extat: Ol. XI, 37 *). 92. Pyth. II, 28. III, 11. X, 63. Nem. V, 11. VII, 37; accedit verbum *εἰςιδέτω* Isthm. VII, 36. Rectissime Boeckhius**) de hac re: *Εἰς Pindarus non dicit, nisi ante vocalem, ubi longa syllaba desideratur; hoc est, praefert formam ἐς, ubi metrum patitur.*

Conjungitur ea semper cum accusativo neque excipi potest Isthm. II, 34: *εἴ τις εὐδόξων ἐς ἀνδρῶν ἄγοι τιμὰς Ἑλικωνιάδων.* Nam hic cum Heynio et Dissenio ellipsis statuenda est accusativi *οἶκον* vel *δόμους*, ex quo genetivus *εὐδόξων ἀνδρῶν* pendet. Boeckhius vero, qui hanc ellipsin ex Homero notissimam apud Pindarum non agnoscit, aliam structuram proponit hanc: *si quis Museas laudes virorum clarorum producat* (*ἐςάγοι*). At repugnat huic explicationi, quam Piersonus quoque probavit***), imago verborum quae praecedunt: *οὐ γὰρ πάγος, οὐδὲ*

*) Versuum numeros ex editione Disseniana a Schneidewino denuo curata attuli. Fragmenta numeris collectionis Boeckhianae signavi atque uncis inclusos addidi numeros Bergkii (ed. II. lyrr. grr.).

**) Nott. critt. ad Pyth. IV, 57.

***) Rhein. Mus. XI, 394.

προςάντης ἁ κέλευθος γίγνεται, εἴ τις . . ., quibus optime convenit explicatio Heyniana.

Saepissime *εἰς* cum accusativo locum indicat, in quem vel ad quem actio aliqua derigitur. Huc pertinet, ut alia omittam permulta, etiam Fragm. 98 [110]: *οἷσι δὲ Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος δέξεται, ἐς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων ἐνάτῳ ἔτεϊ ἀνδιδοῖ ψυχὰς πάλιν*, ubi *ἀνδιδοῖ ἐς ἅλιον, remittit ad solem terrestrem,* multo distinctius et gravius dictum est, quam si dativus positus esset, *ἀνδιδοῖ τῷ ἁλίῳ**). Alterum exemplum, quod extat Ol. III, 25: *δὴ τότ' ἐς γαῖαν πορεύειν θυμὸς ὥρμαιν' Ἰστρίαν νιν*, ob eam causam affero, quia verbum *πορεύειν* emendatione eget; nam hoc verbum nusquam intransitive dictum est pro *πορεύεσθαι*, Dissenii vero duram explicationem: *tum animus id agebat ut ad Hyperboreos eum duceret*, in qua *πορεύειν* activum sensum servat, nemo comprobabit. Scribendum mihi videtur pro *πορεύειν*: *παρελθεῖν*. Cf. Schol. ad v. 45: *διὰ τοῦτο παραγενέσθαι προεθυμήθη εἰς τὴν γῆν τοῦ Ἴστρου ποταμοῦ*, ad v. 46: *εἰς τὴν γῆν ἐλθεῖν.* — Raro *εἰς* cum accusativo adhibetur ad hominem significandum, ad quem actio eundi vel ducendi derigitur; tria ascribam huius usus exempla, Ol. II, 34: *ῥοαὶ δ' ἄλλοτ' ἄλλαι ἐς ἄνδρας ἔβαν*, ib. 49: *ὁμόκλαρον ἐς ἀδελφεὸν χάριτες ἄνθεα τεθρίππων ἄγαγον*, Ol. VII, 31: *μαντεύσατο δ' ἐς θεὸν ἐλθών.* Caveas vero, ne cum Zeunio**) *ἐς θεὸν ἐλθών* breviter dictum esse pro *ἐς ναὸν θεοῦ ἐλθών* credas. Hoc tantum concedi potest, *ἐς θεόν* eadem ratione verbo veniendi additum esse, qua alibi locus additur quem deus incolit. Idem in ceteris huius modi exemplis valet. — Tum a primaria significatione praepositio non longe recedit in translatis dictionibus, quales sunt *ἐκάλεσε ἐς ἔρανον φίλαν τε Σίπυλον* (Ol. I, 38), ubi quam arcte hic usus cum primaria significatione cohaereat, testatur

---

*) Cf. Hom. Il. XI, 705: *ἐς δῆμον ἔδωκε.*

**) Herm. ad Vig. p. 594.

alterum nomen *φίλαν τε Σίπυλον*, quod ex praepositione pendet; *ἐς φάος ἄγων δᾶμον* (Ol. V, 14), *δᾶμον τράποι ἐς ἀσυχίαν* (Pyth. I, 70), *ἐς κακὸν τρέψαις* (Pyth. III, 35), *ἵκετ' ἐς Διὸς γενεάν* (Nem. X, 14), et aliae multae, quas enumerare longum est.

Accedimus ad temporis notionem praepositione *εἰς* designatam. Quem usum ter apud Pindarum inveni, Pyth. III, 105: *ὄλβος οὐκ ἐς μακρὸν ἔρχεται,* ubi *ἐς* temporis finem indicat, ultra quem felicitas non procedit; Pyth. X, 63: *τὰ δ' εἰς ἐνιαυτὸν ἀτέκμαρτον προνοῆσαι, quae usque ad annum procedunt,* h. e. *quae anno proximo eventura sunt, praevideri non possunt;* Fragm. 98 [110]: *ἐς δὲ τὸν λοιπὸν χρόνον ἥρωες καλεῦνται, usque ad finem reliqui temporis,* h e. *in omne futurum tempus, heroes vocantur.* — Addendum est huic usui adverbium *ἐςαεί*, quod extat Ol. X, 10. Neque alieni videntur duo loci, quibus *ἐς* cum adverbio numerali *τρίς* compositum est, Ol. II, 68: *ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐςτρὶς ἑκατέρωθι μείναντες* . . ., Pyth. IV, 61: *ἅ σε χαίρειν ἐςτρὶς αὐδάσαισα* . . . His locis *ἐςτρίς non minus quam ter* (usque ad eum numerum) aliquid factum esse significat *).

Alium rursus praepositio usum praebet, ubi aut consilium aut effectum significat. Spectandi sunt hi loci, Nem. VII, 48: *ἐχρῆν δέ τιν' Αἰακιδᾶν θεμίσκοπον οἰκεῖν ἐόντα εὐώνυμον ἐς δίκαν, oportebat Aeacidarum aliquem ibi habitare ut claram exerceret justitiam* vel *ad justitiam efficiendam;* Nem. VIII, 21: *δόμεν ἐς ἔλεγχον, dare ad probationem hominum;* Ol. I, 75 et XI, 12, ubi *ἐς χάριν* eodem modo dictum est ac *χαριστικῶς*, *ita ut gratia eveniat.* — Denique sunt apud Pindarum loci, quibus primaria praepositionis vis fere evanuisse videtur et simpliciter actionem quodammodo pertinere ad aliquem vel rem aliquam significatur. Huius generis sunt quae leguntur Nem. IV, 68: *κράτος ἐξέφαναν ἐς γένος αὐτῷ, potentiam ei monstrarunt*

---

*) Cf. Herm. ad Vig. p. 857.

qua futurum eius genus frueretur; ἐς γένος hic idem valet quod dativus *γένει*, quem in eodem conexu legimus Ol. II, 15: *ἄρουραν σφίσιν κόμισον λοιπῷ γένει, serva eis paternam regionem ut futurum genus ea fruatur;* quae explicatio huius loci diversa a Boeckhiana et Disseniana illo loco, ubi *ἐς γένος* legitur, confirmatur. Tum animadverte difficiliorem praepositionis usum, qui extat Ol. VI, 13: *ἐς Ἀμφιάρηον φθέγξατο, prolocutus est de Amphiarao,* vel *talia prolocutus est, quae ad Amphiaraum pertinebant.*

Restat ut de compositis cum *εἰς* dicamus. Mirum enim est, quam raro apud Pindarum talia legantur. Verba octies tantum inveniuntur, *ἐσάλλεσθαι* (Ol. VIII, 38), *ἐσορούειν* (Ol. VIII, 40), *ἐσέρχεσθαι* (Pyth. IV, 120. X, 32. Nem. X, 16), *ἐσδέχεσθαι* (Fragm. 185 [167]), *ἐσορᾶν* (Ol. VIII, 19. Isthm, VII, 36). Praeter haec verba extant substantiva *ἔσοδος* (Pyth. V, 116. VI, 50) et *ἔσοπτρον* (Nem. VII, 14).

ANTI.

Ἀντί, quinquies apud Pindarum cum genetivo casu conjunctum, significat in locum alicuius rei aliud inire. Sic Pyth. IV, 17 sq.: *ἀντὶ δελφίνων ἵππους ἀμείψαντες, ἀνία τ' ἀντ' ἐρετμῶν δίφρους τε νωμάσοισιν.* Inde fit, ut compensari aliquid aliqua re eiusdem praepositionis ope indicetur. Huc refero Isthm. I, 46: *ἀντὶ μόχθων ἔπος εἰπόντ' ἀγαθόν,* IV, 25: *κόμπον ἀοιδᾷ κιρνάμεν ἀντὶ πόνων,* Pyth. II, 17: *ἄγει δὲ χάρις φίλων ποίνιμος ἀντὶ ἔργων ὀπιζομένα.*

Verba composita saepius inveniuntur, sed non est, in quo vulgarem usum excedant. Affero duos tantum locos, Nem. I, 35: *ἐγὼ δ' Ἡρακλέος ἀντέχομαι, ego vero libenter colo et cano Herculem*, ubi praepositio vim verbi *ἔχεσθαι* magis effert eo, quod imaginem adhaerescendi auget; Isthm. VI, 26: *τιμὰ δ' ἀγαθοῖσιν ἀντίκειται,* ubi praepositio notionem compensationis rerum bene gestarum excitat: *honor bonis tanquam praemium positus est.* In ceteris omni-

bus praepositio verbo simplici notionem ex adverso standi et agendi vel obviam eundi tribuit. — Ex aliis compositis nomino perraram vocem *ἀντίτομον, remedium* (antidotus), quod extat Pyth. IV, 221*).

ΑΠΟ.

Praepositio *ἀπό,* genetivo addita, saepe apud Pindarum locum, ex quo aliquid movetur, indicat et in propriis et in translatis dictionibus. Ex translatarum numero ascribam has, Ol. I, 13: *δρέπων κορυφὰς ἀρετᾶν ἄπο πασᾶν*, ubi imago a decerpendis floribus ducta est, Ol. V, 14: *ἀπ' ἀμαχανίας ἄγων ἐς φάος δᾶμον,* Fragm. 228 [86]: *στάσιν ἀπὸ πραπίδος ἀνελών,* Fragm. 47 [56]: *πρὶν μὲν εἶρπε σχοινοτένειά τ' ἀοιδὰ διθυράμβων καὶ τὸ σὰν κίβδαλον ἀνθρώποισιν ἀπὸ στομάτων.* Huic primario praepositionis usui addendi sunt loci Pyth. IV, 290: *καὶ μὰν κεῖνος Ἄτλας οὐρανῷ προςπαλαίει νῦν γε πατρῴας ἀπὸ γᾶς ἀπό τε κτεάνων,* et Nem. IX, 14: *φεῦγεν Ἀμφιάρηον πατρῴων οἴκων ἀπό τ' Ἄργεος*, in quibus verbum quidem movendi, unde praepositio pendeat, non adest, sed ipsa praepositione indicatur, actionem remotam ab aliqua re fieri. Quo in usu praepositio magnam et — ut ita dicam — ethicam vim exercet**).

Accedimus ad eas dictiones, in quibus *ἀπό* a primaria significatione loci, ex quo aliquid movetur, recedere videtur. In quibus tamen omnibus origo ex illo concreto usu ductus facile cognoscitur. Primum enim, quum proprie dicatur: *Πίσας ἄπο νίσσονται ἀοιδαί* (Ol. III, 9), vel *δόξαν ἀγαγόντ' ἀπὸ Δελφῶν* (Pyth. IX, 75), vel [*ἑλὼν*] *Αἰακίδαις ἔρνεα πρῶτος* [*ἐλαίας*] *ἀπ' Ἀλφεοῦ* (Nem. VI, 20)***), vel

*) Cf. Hom. Hymn. in Cer. 229. et interpretes ad h. l., Hesych. s. v., et Stanlei. ad Aesch. Agam. 17.

**) Cf. Hom. Il. II, 162. et Naegelsbach. ad Hom. Il. I, 562.

***) Nem. VI, 19 sq. in libris sic legitur:

κεῖνος γὰρ Ὀλυμπιόνικος ἐὼν Αἰακίδαις
ἔρνεα πρῶτος ⏑ – –́ ἀπ' Ἀλφεοῦ,
καὶ πεντάκις Ἰσθμοῖ στεφανωσάμενος cet.,

etiam intransitive *Νεμέας Ἐπιδαυρόθεν τ' ἄπο καὶ Μεγάρων δέδορκεν φάος* (Nem. III, 84), inde ab hoc usu ortum est quod legitur Pyth. VII, 16: *ἄγοντι δέ με πέντε μὲν Ἰσθμοῖ νῖκαι, μία δ' ἐκπρεπὴς Διὸς Ὀλυμπιάς, δύο δ' ἀπὸ Κίρρας*, h. e. *duae vero victoriae ex Cirrha reportatae;* hic praepositio *ἀπο* imaginem magis perspicuam praebet, quam si dictum esset *ἐν Κίρρᾳ*, ut antea *Ἰσθμοῖ*. Eandem rationem loci praebent ei, quibus pro loco victoriae victoria ipsa vel genus certaminum nominatur, veluti Isthm. V, 60: *ἄραντο νίκας ἀπὸ παγκρατίου, victorias reportarunt ex pancratio*, ubi praepositio eodem modo quo supra vim magis concretam praebet, quam si dictum esset *ἐν παγκρατίῳ*. Quo loco praemisso ceteri explicatione non egent; ascribam tamen eos, Ol. VIII, 76: *Βλεψιάδαις, ἕκτος οἷς ἤδη στέφανος περίκειται φυλλοφόρων ἀπ' ἀγώνων*, Nem. VI, 67: *πέμπτον γ' ἐπὶ εἴκοσι τοῦτο γαρύων εὖχος ἀγώνων ἄπο*, Nem. IV, 17: *ὕμνον κελάδησε καλλίνικον Κλεωναίου τ' ἀπ' ἀγῶνος*. Eundem in rebus agonisticis usum inveniemus apud Pindarum, si ad praepositionem *ἐκ* pervenerimus.

Tum primariam praepositionis significationem prope accedit is usus, ex quo res, cuius ope aliquid efficitur, tanquam locus cogitatur, ex quo illud moveatur. Huc pertinet Pyth. III, 2: *εἰ χρεὼν τοῦθ' ἁμετέρας ἀπὸ γλώσσας κοινὸν εὔξασθαι ἔπος*, cui loco addendus est alter, Ol. VI, 13: *τὶν δ' αἶνος ἑτοῖμος, ὃν ἐν δίκᾳ ἀπὸ γλώσσας Ἄδραστος μάντιν Οἰκλείδαν ποτ' ἐς Ἀμφιάρηον φθέγξατο*, ubi

---

deficiente in altero versu voce huius mensurae ◡ – –. Ad quem versum explendum Boeckhius ingeniose conjecit *ἐλαίας* atque verborum structuram ita conformavit, ut verba *Αἰακίδαις* — *Ἀλφεοῦ* participio *στεφανωσάμενος* suppleret; quod tamen nimis durum videtur. Qua de causa Kayserus (lectt. Pind. p. 77.) illam lacunam participio *ἐνεγκών* explendam esse censuit, coll. Nem. V, 54; hoc enim manifestum est participium exposci; at in Kayseri scriptura offendo in duobus participiis *ἐών* et *ἐνεγκών*. Qua re commotus Boeckhii quidem eximiam emendationem *ἐλαίας* servandam, at vs. 19. pro *ἐών* scribendum esse conicio participium *ἑλών*. In oratione sic conformata nemo puto offendet.

ἀπὸ γλώσσας φθέγγεσθαι per emphasin dictum est: *libere et palam, pleno de pectore prologui.* Porro hic usus videtur Ol. VII, 1: *φιάλαν ἀφνειᾶς ἀπὸ χειρὸς ἑλὼν δωρήσεται νεανίᾳ γαμβρῷ,* ubi Dissenium secutus *ἀπὸ χειρός* cum *δωρήσεται* jungo, non cum *ἑλών,* quod potius amplificationis causa verbo *δωρήσεται* additum videtur*), Pyth. IV, 225: *βόας οἵ φλόγ' ἀπὸ ξανθᾶν γενύων πνεῦν καιομένοιο πυρός,* Nem. VI, 31: *ἀπὸ τόξου ἱείς, ab arcu sagittam mittens,* Ol. IX, 5: *ἀλλὰ νῦν ἑκαταβόλων Μοισᾶν ἀπὸ τόξων Δία τε φοινικοστερόπαν σεμνόν τ' ἐπίνειμαι ἀκρωτήριον Ἄλιδος τοιοῖςδε βέλεσσιν.*

Deinde praepositio *ἀπό* significat, ex quibus parentibus vel ex qua patria aliquis ortus sit, in quo usu nihil interesse videtur apud Pindarum inter hanc praepositionem et *ἐκ.* Quod vides ex Nem. V, 7: *ἐκ δὲ Κρόνου ἥρωας φυτευθέντας καὶ ἀπὸ Νηρηΐδων.* Addo locum, quo patria vocatur, Nem. XI, 34: *συμβαλεῖν τὸ Πεισάνδρου αἷμ' ἀπὸ Σπάρτας.* Neque solum hominum sed etiam rerum origo pari modo designari solet, Fragm. 211 [181]: *ὕδωρ Τιλφώσσας ἀπὸ καλλικράνου,* Fragm. 73 [83]: *ὅπλα δ' ἀπ' Ἄργεος, ἅρμα Θηβαίων ἀπὸ γᾶς,* Pyth. V, 73: *τὸ δ' ἐμὸν γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας κλέος.* Huc mihi referendum videtur etiam Nem. III, 9: *τᾶς* (sc. *ἀοιδᾶς*) *ἀφθονίαν ὄπαζε μήτιος ἀμᾶς ἄπο, cantus largam copiam ex mente mea hauriendam* (oriundam) *mihi praebe.*

Denique tempus, ex quo aliquid esse coepit, hac praepositione designatur. Sunt tria apud Pindarum huius usus exempla, Pyth. VIII, 25: *τελέαν δ' ἔχει δόξαν ἀπ' ἀρχᾶς, inde ab initio,* Ol. VII, 20: *ἐθελήσω τοῖσιν ἐξ ἀρχᾶς ἀπὸ Τλαπολέμου ξυνὸν ἀγγέλλων διορθῶσαι λόγον, inde a Tlepolemo,* et Pyth. V, 115: *ποτανὸς ἀπὸ ματρὸς φίλας, ales inde a cara matre,* quod pulchre dictum est pro: *inde a prima juventute.* — Duos addo locos, in quibus praepositio *ἀπό* injuria a nonnullis de tempore explicatur. Ol.

*) Cf. Rauchenstein. comm. Pind. part. II, p. 27.

XIII, 76: *κοιτάξατο νύκτ' ἀπὸ κείνου χρήσιος* Boeckhius interpretatur: *incubuit noctem quae illius jussum sequebatur*; at quum de jussu Polyidi vatis antea nihil dictum sit, praefero Dissenii explicationem, ex qua Bellerophon noctem incubuisse dicitur **ex illius jussu** (*ἀπὸ κείνου χρήσιος*); *ἀπό* igitur causam indicat, qua quis ad efficiendum aliquid commovetur. Alter locus extat Pyth. V, 8: *σύ τοί νιν κλυτᾶς αἰῶνος ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο σὺν εὐδοξίᾳ μετανίσσεαι,* ubi Rauchensteinius*) rectum demonstravit: *tu eas* (divitias) *sectaris et consequeris a summo vitae inclitae fastigio profectus,* h. e. *in summa dignitate regia constitutus.* Significatur igitur translato sensu locus, in quo constitutus ideoque ex quo profectus Arcesilaus aliquid sectatur, eodem modo quo proprie dictum est *ἀπὸ Ταϋγέτου πεδαυγάζων, a Taygeto* (vel in T. constitutus) *alio oculos convertens* (Nem. X, 61).

Verba cum *ἀπό* composita saepissime apud Pindarum leguntur atque plerumque concretam vim praepositionis servant. Pindari proprium est quod legitur Nem. IV, 46: *Κύπρῳ ἔνθα Τεῦκρος ἀπάρχει, ubi Teucer* **procul a patria** *regnat.* Attamen Pindarus etiam talia verba admisit, in quibus jam vulgari usu vis praepositionis debilitata erat vel fere interierat, veluti *ἀφικνεῖσθαι, ad aliquid venire, ἀποδιδόναι, tradere* (Pyth. IV, 67), *ἀποφέρειν, transferre* (Pyth. V, 59), *ἀπαγγέλλειν, nuntiare* (Pyth. VI, 18), *ἀπονέμειν, attribuere* (Isthm. II, 47) et alia, in quibus omnibus praepositio fere nullam vim in significationem simplicium verborum exercet. Neque vero eodem modo vis praepositionis evanuit in verbo *ἀποτιθέναι* Ol. VIII, 68: *ἀνορέας δ' οὐκ ἀμπλακὼν ἐν τέτρασιν παίδων γυίοις ἀπεθήκατο νόστον ἔχθιστον, invisum reditum a se remotum deposuit in quatuor puerorum corporibus;* manifestum est enim, quantam vim habeat duarum notionum, removendi a se et deponendi in alio, conjunctio; attamen caveas, ne cum Boeckhio

---

*) Comm. Pind. part. I, p. 12.

ἐναπεθήκατο in unum confundas per tmesin separatum, neque causam video, quare Dissenius *ἐν — γυίοις* cum verbis quae praecedunt *ἀνορέας οὐκ ἀμπλακών* conjungere maluerit. Adicio duo verba, quorum unum non extat nisi apud Pindarum: *ἀποσκίμπτειν*, quod pro vulgari *ἀποσκήπτειν*, *defigere*, dictum est Ol. VI, 101, ut simplex *σκίμπτειν* Pyth. IV, 224 pro *σκήπτειν*; altero *ἀποφλαυρίζειν*, *contemnere* (Pyth. III, 12), praeter Pindarum Herodotus usus est*).

ΕΚ.

Praepositionis *ἐκ* (ante vocales *ἐξ*) apud Pindarum sunt maxime variae usus rationes atque inservit ea permultis locis, quae est concreta eius vis, ad efficiendas perspicuas rerum actionumque imagines. Cf. Pyth. III, 103: *ὦρσεν ἐκ Δαναῶν γόον*, Pyth. XII, 20: *ἐκ καρπαλιμᾶν γενύων χριμφθέντα γόον*, Nem. IV, 60: *φύτευέ οἱ θάνατον ἐκ λόχου*. Ad eos primum locos animum intendamus, quibus ex loco aliquo vel ex aliquo certaminum genere victoria reportata esse dicitur. Cf. de eodem praepositionis *ἀπό* usu pag. 7 sq. Si proficiscamur ab Ol. XIII, 29: *στεφάνων ἐγκώμιον τεθμόν, τὸν ἄγει πεδίων ἐκ Πίσας*, ubi verbum movendi additum est, non erit quod miremur, etiam substantivis *ἐκ* cum genetivo eadem significatione addi, ita ut verbum, ex quo praepositionis usus pendeat, animo cogitandum sit. Huc pertinent Nem. XI, 19: *ἐκ δὲ περικτιόνων ἑκκαίδεκ' ἀγλααὶ νῖκαι* et Pyth. XII, 5: *στεφάνωμα τόδ' ἐκ Πυθῶνος*. Audacius vero dicta sunt haec, Nem. X, 44: *ἐκ δὲ Πελλάνας ἐπιεσσάμενοι νῶτον μαλακαῖσι κρόκαις*, *ex Pellene induti tergum mollibus tramis*, ubi reportatae victoriae notio, ex qua praepositio *ἐκ* pendet, in aliam notionem abiit, qua praemium victoriae indicatur; Ol. XII, 18: *Ὀλυμπίᾳ στεφανωσάμενος, καὶ δὶς ἐκ Πυθῶνος, Ἰσθμοῖ τε*, ubi ad verba *ἐκ Πυθῶνος* cogitandum

*) I, 86.

est: *στέφανον ἑλών*, petitum ex *στεφανωσάμενος**). Pro loco victoriae certamina ipsa vel genera certaminum substituta sunt his locis Ol. VIII, 64: *ἐξ ἱερῶν ἀέθλων μέλλοντα δόξαν φέρειν*, Nem. II, 19: *τέσσαρας ἐξ ἀέθλων νίκας ἐκόμιξαν*, Pyth. IV, 66: *τῷ μὲν Ἀπόλλων ἅ τε Πυθὼ κῦδος ἐξ ἀμφικτιόνων ἔπορεν ἱπποδρομίας* (*ex circumhabitantium hippodromo*), atque audacius Ol. VIII, 59: *καὶ Νεμέᾳ γὰρ ὁμῶς ἐρέω ταύταν χάριν, τὰν δ᾽ἔπειτ᾽ ἀνδρῶν μάχαν ἐκ παγκρατίου.*

Tum notissimum praepositionis usum animadverte, ex quo originem hominis ex loco aliquo vel ex parentibus ductam significat. Unum exemplum, quod extat Ol. IX, 14: *οὔτοι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψεαι ἀνδρὸς ἀμφὶ παλαίσμασιν φόρμιγγ᾽ ἐλελίζων κλεινᾶς ἐξ Ὀπόεντος*, de ea causa prae ceteris omnibus commemoro, quia sensus et structura totius loci interpretibus maximam difficultatem praebuerunt, quam sub textu tollere conatus sum**). Neque solum

---

*) Interpolandi rationem cognoscimus ex eo, quod plurimi libri (exceptis optimis) praebent: *ἐν Πυθῶνι*. Itidem Ol. VIII, 59 pro *ἐκ παγκρατίου* praebent *ἐν παγκρατίῳ*.

**) Universus hic locus Ol. IX, 12 sqq. in plerisque editionibus sic legitur:

οὔτοι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψεαι
ἀνδρὸς ἀμφὶ παλαίσμασιν φόρμιγγ᾽ ἐλελίζων
κλεινᾶς ἐξ Ὀπόεντος. αἰνήσαις ἕ καὶ υἱόν·
ἂν Θέμις θυγάτηρ τέ οἱ Σώτειρα λέλογχεν cet.

Priusquam de conformatione huius loci quaeramus, statuendum est, quid significent verba *αἰνήσαις ἕ καὶ υἱόν*. Vocem *αἰνήσαις* cum Boeckhio et Dissenio optativum esse puto; nam participiorum conjunctio, alterius in praesenti tempore positi (*ἐλελίζων*), alterius in aoristo (*αἰνήσαις*) sensu carere videtur. Pindarus, ut in universo huius carminis prooemio, sese ipsum alloquitur et cohortatur; cf. v. 6: *ἐπίνειμαι*, 11: *ἴει*. Optativi autem pro imperativo usus apud Pindarum confirmatur eiusd. carm. v. 41: *φέροις*, et Ol. II, 91: *τανύσαις*, ad quem l. cf. Boeckh. et Dissen. Sed ad quam rem laudandam poëta verbis *αἰνήσαις ἕ καὶ υἱόν* sese cohortatur? Schol. explicat: *ἕ ἀντωνυμία. κεῖται γὰρ ἀντὶ τοῦ αὐτὴν τὴν Ὀποῦντα. υἱὸν δὲ τὸν πολίτην λέγει*, et ita omnes qui extiterunt interpretes rem intellexerunt. Hartungius autem, qui pro cive urbis negat „filium urbis" dici posse, pronomen

origo hominum, sed etiam auctor alicuius rei vel omnino is, qui ad efficiendam aliquam rem ansam praebuit, eodem modo significatur. Hinc illa quae saepe occurrunt: *ἐκ θεοῦ δ' ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ πραπίδεσσιν, ἐκ θεῶν μαχαναὶ πᾶσαι βροτεαῖς ἀρεταῖς*, alia. Duos praeterea huius modi locos apponam, quorum explicatio dubia erat, Ol. VIII, 54: *ἐξ ἀγενείων κῦδος, gloria quae magistro ex pueris orta est,*

ἕ ad Epharmostum referendum censet, ita ut *υἱός* sit Epharmosti filius. At per totum carmen ne uno quidem verbo poëta filium Epharmosti tangit, et certe hic ei celebrandus fuit, si in prooemio eius laudem pollicitus est. Tum non est causa, quare Epharmostus non possit *υἱὸς Ὀπόεντος* dici, praesertim quum v. 20. Opus „mater Locrorum" vocetur. Legendus etiam Catullus, 37, 18: **Celtiberiae filius Egnatius.** Recte igitur sese habere videtur vulgaris explicatio: lauda Opuntem urbem eiusque filium Epharmostum. Ut ad structuram totius loci transeamus, B o e c k h i u s ceterique omnes interpretes, inde a voce *αἰνήσαις* prorsus novum enuntiatum incipere rati, post *Ὀπόεντος* puncto utuntur et relativum pronomen *ἅν* ad *ἕ* (sc. *Ὀπόεντα*) referunt. At alia ingrediendum mihi videtur via Pindarico sermoni maxime apta. Nam verba *αἰνήσαις ἕ καὶ υἱόν* in parenthesi dicta atque pronomen *ἅν* ad ipsam vocem *Ὀπόεντος* referendum puto. Ita demum eximia verborum conformatio comparet neque in occulto manet vis loci. Summa enim vis inest in eo, quod verba *κλειτᾶς ἐξ Ὀπόεντος* a voce *ἀνδρός*, quacum arctissime conjungenda sunt, separata in fine sententiae, in initio autem versus posita sint. Adicit deinde poëta in parenthesi causam — ut ita dicam —, qua commotus claram urbem Opuntem tam insigniter commemoraverit: *nam* **patria** *mihi celebranda est* **cum victore** (*αἰν. ἕ καὶ υἱόν*). Post hanc brevem interpositionem pronomine *ἅν*, quod verba sequentia voci *Ὀπόεντος* annectit, pergens Opuntis urbis laudem re vera efficit. Interpungo igitur hoc modo:

> *οὔτοι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψεαι*
> *ἀνδρὸς ἀμφὶ παλαίσμασιν φόρμιγγ' ἐλελίζων*
> *κλειτᾶς ἐξ Ὀπόεντος, — αἰνήσαις ἕ καὶ υἱόν· —*
> *ἅν Θέμις . . .*

Conferenda est periodus prorsus eodem modo conformata, quae extat Ol. VIII, 25 sqq.:

> *τεθμὸς δέ τις ἀθανάτων καὶ τάνδ' ἁλιερκέα χώραν*
> *παντοδαποῖσιν ὑπέστασε ξένοις*
> *κίονα δαιμονίαν —*
> *ὁ δ' ἐπαντέλλων χρόνος*
> *τοῦτο πράσσων μὴ κάμοι· —*
> *Δωριεῖ λαῷ ταμιευομέναν ἐξ Αἰακοῦ.*

vel *cuius auctores ipsi pueri fuerunt* (cf. Boeckh.), et Ol. VIII, 91: *σάφα δαεὶς ἅ τε οἱ πατέρων ὀρθαὶ φρένες ἐξ ἀγαθῶν ἔχραον, probe sciens quae ei recta mens ex patribus bonis originem ducens impertiit,* quam Gurlitti explicationem, coll. Pyth. VIII, 45: *φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα,* summo jure Dissenius contra Boeckhium *ἐξέχραον* conjungentem tuitus est.

Deinde eos locos examinare expediet, in quibus praepositioni *ἐκ* notio transeundi ex aliquo statu in alium statum inest. Cf. Isthm. VI, 39: *ἀλλὰ νῦν μοι Γαιάοχος εὐδίαν ὄπασσεν ἐκ χειμῶνος,* Fragm. 106 [119]: *θεῷ δὲ δυνατὸν ἐκ μελαίνας νυκτὸς ἀμίαντον ὄρσαι φάος.* Nem. IX, 44: *ἐκ πόνων δ', οἳ σὺν νεότατι γένωνται σύν τε δίκᾳ, τελέθει πρὸς γῆρας αἰὼν ἁμέρα,* et paullo audacius dictum Pyth. II, 19: *Λοκρὶς παρθένος πολεμίων καμάτων ἐξ ἀμαχάνων διὰ τεὰν δύναμιν δρακεῖσ' ἀσφαλές.* Ita verbum *μεταμείβειν* apud Pindarum praepositionem *ἐκ* cum genetivo eius rei, quae cum alia commutatur, poscit; legitur enim Pyth. III, 96: *Διὸς χάριν ἐκ προτέρων μεταμειψάμενοι καμάτων,* atque in eundem modum Ol. XII, 12 restituendum propono hoc: *ἐςλὸν βαθὺ πήματος ἐκ μικρῷ πεδάμειψαν χρόνῳ.* Nam solum genetivum, qui adhuc legebatur: *ἐσλὸν βαθὺ πήματος ἐν μικρῷ πεδάμειψαν χρόνῳ,* verbum *μεταμείβειν,* de quo v. infra, nusquam patitur. Conferenda est etiam Scholii veteris ad v. 17. confusi ex duabus glossis pars altera: *καὶ γὰρ οὗτος ἐκ πημάτων τῶν περὶ τὴν ἀπόπτωσιν ἀγαθὸν ἔσχε τὴν νίκην.*

Reliquum est, ut temporalem praepositionis usum commemoremus, cuius vulgarem modum Pindarus non excessit. Materia, ex qua aliquid constat, uno loco Fragm. 88 [100] hac praepositione significata est; itidem, praestare aliquam rem prae ceteris, uno loco Ol. VI, 25.

In compositione praepositionis cum verbis nihil inveneris quod Pindari proprium sit. Significant autem composita verba vel remotionem a loco et in propriis et in translatis dictionibus, vel perfectionem et absolutionem

actionis, vel exorsum actionis ab initio, vel etiam praepositio ad augendam vim verbi simplicis inservit.- Ne omnia taceamus, verbum *ἐκφέρειν*, pariter ac nostrum *„ausführen"*, perfectionem rei significat Nem. IV, 61: *τὸ μόρσιμον Διόθεν πεπρωμένον ἔκφερεν,* quem usum sane non ita frequentem esse puto. Simplicium verborum vis augetur in *ἐξαρκεῖν, ἐξελέγχειν, ἐξευρίσκειν, ἐκδιδόναι* (cf. Pyth. IV, 295: *θυμὸν ἐκδόσθαι πρὸς ἥβαν, animum tradere juventuti* **totum**, Ol. XIII, 106: *Διὰ τοῦτ' Ἐνυαλίῳ τ' ἐκδώσομεν πράσσειν*), *ἐκτελευτᾶν* al. Quod modo nominavi verbum *ἐκτελευτᾶν* significat et *perficere aliquid* (Pyth. XII, 29. Fragm. 158 [149]) et *perfici.* Quem alterum usum neglexerunt interpretes in explicando Pyth. IV, 19: *κεῖνος ὄρνις ἐκτελευτάσει μεγαλᾶν πολίων ματρόπολιν Θήραν γενέσθαι,* ubi B o e c k h i u s interpretatur: *illud augurium efficiet, ut magnarum urbium metropolis Thera fiat.* Debuit potius, quod loci conexus docet: *illud augurium perficietur* vel *eventum habebit, nempe ita ut Thera . . .* Eodem sensu intransitivo simplex quoque verbum *τελευτᾶν* legitur Ol. VII, 68. — Denique notanda sunt duo adjectiva, perrarum *ἐκνόμιος, insolens,* Nem. I, 56, et *ἔξορκος, juratus,* quod non extat nisi apud Pindarum, si quidem locus Ol. XIII, 99 recte sese habet*).

ΠΡΟ.

Praepositio *πρό*, quae decies apud Pindarum extat, locum indicat, ante quem aliquid fit; inter septem huius usus

---

*) Hoc loco, Ol. XIII, 99:

παύρῳ δ' ἔπει θήσω φανέρ' ἀθρό', ἀλαθής τέ μοι
ἔξορκος ἐπέσσεται ἑξηκοντάκι δὴ ἀμφοτέρωθεν
ἁδύγλωσσος βοὰ κάρυκος ἐσλοῦ,

offendo ego in cumulatis attributis ad *βοὰ κάρυκος* positis: *ἀλαθής* — *ἔξορκος* — *ἁδύγλωσσος.* Quum vis loci haec esse videatur: *si Xenophontis victorias praedico,* ne mentiar *testis aderit verax vox nuntii,* scribendum conicio: *ἀλαθής τέ μοι εὐόρκῳ ἐπέσσεται — ἁδύγλωσσος βοὰ κάρυκος.* Adjectivum *εὔορκος* non solum est: *jurejurando obstrictus,* sed omnino: *verax, probus,* ut *ἐνόρκιος* Ol. II, 92.

exempla unum est, in quo translate dicitur: *τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ σκοπεῖν χρῆμα πᾶν, quod vero praesens est praestat semper spectari* (Isthm. VII, 13). Tum uno loco id significat, in cuius usum et gratiam aliquid fit: Isthm. VI, 27, duobus ad indicandam praestantiam inservit: Ol. XI, 23. Pyth. IV, 140.

Eodem modo verba cum *πρό* composita leguntur, quae indicant, notionem verbi simplicis ad aliquem prae ceteris referendam esse; huc voco Isthm. VII, 16: *Αἰγίνᾳ χαρίτων ἄωτον προνέμειν, Gratiarum florem Aeginae prae aliis urbibus tribuere*, Nem. II, 18: *ὅσσα δ' ἀμφ' ἀέθλοις, Τιμοδημίδαι ἐξοχώτατοι προλέγονται, in certaminibus quidem Timodemidae prae ceteris praestantissimi vocantur;* qui utriusque verbi usus alibi non invenitur. Praeterea verbum *προβαίνειν* vulgarem usum bis diverso modo exuit. Nem. VII, 71: *τέρμα προβάς* idem est quod *τέρμα ὑπερβάς* *), atque Ol. VIII, 63: *τὶς τρόπος ἄνδρα προβάσει* unicus locus est, qui hoc verbum transitivo sensu promovendi et provehendi exhibet. — Ex ceterorum compositorum numero adjectivum *πρόφαντος* Ol. I, 116 excellentiam indicat (= *προφανής*), qui usus alibi non invenitur; adjectivum autem *προπρεών* = *πρόθυμος* (Nem. VII, 86) et nomen *προκώμιον* = *προοίμιον* (Nem. IV, 11) non extant nisi apud Pindarum.

ΕΝ.

Praeter vulgarem praepositionis *ἐν* formam bis apud Pindarum, in fragmentis 95 [106] et 137 [140], forma *ἐνί* legitur, quod tamen incertum est ut in fragmentis. —

Huius praepositionis tam varius est usus apud Pindarum, ut pauca tantum eligere liceat, quae nobis dignissima notatu videntur. Atque primum de adverbiali usu agamus. Cuius insigne est exemplum, ubi primaria significatio loci, in quo aliquid fit, tenetur, Ol. XIII, 22; *ἐν δὲ Μοῖσ' ἀδύ-*

---

*) Cf. Hesych. s. v., Dissen. in ed. Goth.

πνοος, ἐν δ' Ἄρης ἀνθεῖ νέων οὐλίαις αἰχμαῖσιν ἀνδρῶν. Difficultas explicandi adverbii hoc loco in eo inest, quod Corinthus urbs — nam de hac sermo est — non ipsa in eis quae praecedunt nominata est, sed praecedunt haec:

ταὶ Διωνύσου πόθεν ἐξέφανεν
σὺν βοηλάτᾳ χάριτες διθυράμβῳ;
τίς γὰρ ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα
ἢ θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλέα δίδυμον
ἐπέθηκ'; ἐν δὲ Μοῖσ'...

Quum vero hae interrogationes nihil efficiant nisi rhetoricam, ut ita dicam, figuram atque affirmationem involvant hanc, Corinthi haec omnia inventa esse, tum Pindarus inventis illis novam laudem cumulans recte pergit: *ἐν δὲ Μοῖσ' ἁδύπνοος, ἐν δ' ..., et* hic, sc. Corinthi (*ἐν δὲ — Κορίνθῳ*), *Musa,* hic *etiam Mars floret.* Progrediamur ad eos locos, in quibus adverbium *ἐν* ad arcte conectenda duo nomina inservit; quae conjunctio efficit, ut illa nomina quodammodo inter se cohaerentia et alterum ab altero pendentia cogitentur. Ex hac ratione explico Nem. VII, 78: *Μοῖσά τοι κολλᾷ χρυσὸν ἔν τε λευκὸν ἐλέφανθ' ἁμᾶ καὶ λείριον ἄνθεμον ποντίας ὑφελοῖσ' ἐέρσας, Musa profecto glutinat aurum* atque cum auro (in auro) *candidum ebur una et liliaceum florem marino surreptum rori,* ubi arctus auri eborisque conexus etiam particula *ἁμᾶ* indicatus est; et Fragm. 48 [57]: *σοὶ μὲν κατάρχειν πάρα ῥόμβοι κυμβάλων, ἐν δὲ κεχλάδειν κρόταλα,* ubi Dissenius: *tibi ad sacra initia praesto sunt cymbalorum turbines, et quae simul sonent crepitacula.* Hoc loco adverbium *ἐν* proprie significat, crepitacula inter cymbalos sonantia praesto esse; attamen cavendum est, ne *ἐγκεχλάδειν* in unam vocem conjungatur, quod significationi verbi simplicis non aptum est. Tum etiam duarum actionum conexus adverbio *ἐν* exprimitur. Ita alteram ex priori actione pendere vel alteram altera effectam esse, dictum est Ol. VII, 5: *φιάλαν ὡς εἴ τις — δωρήσεται νεανίᾳ γαμβρῷ προπίνων οἴκοθεν οἴκαδε, πάγχρυσον κορυφὰν κτεάνων, συμποσίου τε χάριν κᾶδός*

τε τιμάσαις ἑόν, ἐν δὲ φίλων παρεόντων θῆκέ μιν ζαλωτὸν ὁμόφρονος εὐνᾶς, et ipsa hac re *invidendum eum reddidit ob concordem torum.* Non enim hic satis est, externum conexum inter utramque actionem intellegi (*simulque*), sed eo quod socer phialam vini genero praebuerit, effecisse videtur ut eum invidendum reddiderit *(et ita simul, et ipsa hac re).* Summa autem injuria Piersonus*) *ἐν — θῆκε* in unam vocem conjungens interpretatur: *instituit eum invidendum.* Primum enim ipsa notio instituendi hoc loco inepta est — instituitur quidem aliquis gener, sed non instituitur invidendus —, tum vero verbum *ἐντιθέναι* nusquam vim instituendi habet, sed est: imponere alicui aliquid. — At rursus non ita arctum conexum videmus Ol. XI, 73: *μᾶκος δ' Ἐνικεὺς ἔδικε πέτρῳ χέρα κυκλώσαις ὑπὲρ ἁπάντων, καὶ συμμαχία θόρυβον παραίθυξε μέγαν, ἐν δ' ἕσπερον ἔφλεξεν εὐώπιδος σελάνας ἐρατὸν φάος,* simulque *vesperam incendit* vel *illustravit luna.* Nihil igitur dicitur nisi congruisse cum illa actione statum plenilunii. Etiam hic *ἐν* cum verbo *ἔφλεξεν* junctum est a Boeckhio; verbum *ἐμφλέγειν, incendere,* extat quidem nonnunquam**); attamen Boeckhii sententia reicienda est, quia tmesis hoc loco nullam haberet causam idoneam; nam ex usu Pindarico praepositio, cuius vis in verbo *ἐμφλέγειν* fere nulla est, nullo modo a verbo separari potest. — Addendus est unus locus Ol. II, 56, ubi Schneidewinus ex conjectura adverbium *ἐν* scripsit: *ἐν δέ μιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον,* qua de emendatione difficillimi loci judicio abstinemus. Hoc autem vix admonendum est, adverbio *ἐν* ubique particulas *δέ* vel *τέ* quasi fulcra additas esse, quibus efficitur, ut illud *ἐν* per se intellegatur neque sicuti praepositio dativum nominis poscere videatur. —

Praepositio *ἐν* ubique dativo jungitur. Utitur autem ea Pindarus nonnunquam pro *εἰς* et ita fit ut etiam accu-

---

*) Rhein. Mus. XI, 384.

**) Cf. Nic. Ther. 338., Anth. Plan. 4, 198.

sativo jungatur. Hunc usum eorum tantum carminum esse, in quibus rhythmi Aeolici sint, demonstraverunt Hermannus*), Boeckhius**), Ahrensius***). Occurrit autem nobis ἐν pro εἰς in Aeolicis carminibus Pyth. II. V. et Nem. VII. his locis: Pyth. II, 11. 86. V, 39. Nem. VII, 31; praeterea in fragmentis 45 [53]. 75 [85]. 84 [96]., quorum in postremo Boeckhius num ἐν pro εἰς dictum sit propter numeros Doricos dubitat. Idem Pyth. IV, 258, ubi ἐν pro εἰς legebatur, hoc expulit, quia hoc carmen Doricis numeris scriptum est.

Ut ad significationem praepositionis transeamus, de eo primum usu agamus, quem et grammatici et Pindari explicatores **instrumentalem** vocant. Quae vox si recte intellegatur servari potest; nam plerisque eis locis, ubi ille usus invenitur, id quod praepositione ἐν significatum est ita intellegi potest, ut sit instrumentum vel id cuius ope et auxilio aliquid efficitur; immo Latinae linguae scriptores vel solo ablativo instrumentali vel praepositione *per*, aeque ac nos instrumentali aliqua praepositione, utuntur, ubi idem dicendum est quod Pindarus praepositione ἐν indicavit. Sed si quis hanc pro praepositione instrumentali vel pro nudo dativo instrumenti positam esse dicat, errat; qui error non semel in grammaticis libris et in commentariis extat. Summo igitur jure Dissenius permultis commentarii sui Pindarici locis atque fusius in ed. Boeckh. expll. p. 487. de hac re egit. Attamen quum vir doctissimus multa, quae huc referenda videntur, non retulerit neque in omnibus eius judicium satis rectum esse videatur, rem denuo tractari atque Pindari locos huc spectantes recenseri et perlustrari fortasse expediet. Summum in hac re credimus hoc esse. Pindarus, ubi praepositione ἐν utitur, certam rationem sequitur atque primariam eius vim tenet; quae vis etiam

*) De dial. Pind. p. XXI. (opuscc. vol. I).
**) De metr. Pind. p. 294.
***) De dial. Aeol. §. 54, 3. de dial. Dor. §. 43, 6.

tum cognosci potest, si nos instrumentalem casum vel praepositionem expectemus; nam saepe quod nos instrumentum esse dicimus, quo quis aliquid efficiat, Pindarus tanquam locum vel etiam statum habuit, in quo ipso actio fiat. Nonnunquam in nostra quoque et in Latinorum linguis hae rationes, localem dico et instrumentalem, permutatae inveniuntur; eodem jure atque nullo fere discrimine dici possunt: *in manu ensem quassans* et *manu ensem quassans, miscere aliquid in aqua* et *aqua aliquid miscere;* itidem in nostra lingua. At Pindarus haec simplicissima longe excedit, ita ut quo jure a vulgari ratione instrumentali recesserit nonnunquam difficillimum sit cognoscere et verbis declarare. Sed incipiamus ab exemplis eis, quorum ratio simplicissima videtur. Coronam, qua coma victoris ornata est, id esse vides, in quo coma inest; Nem. XI, 28: *ἀνδησάμενος κόμαν ἐν πορφυρέοις ἔρνεσιν, redimitus comam in purpureis floribus*, quamquam alii loci vim instrumentalem retinent, cf. Isthm. I, 28: *ἀνδησάμενοι ἔρνεσι χαίτας*, Pyth. II, 6. X, 40. Eodem modo arma hostium sanguine tincta cogitantur in sanguine tincta vel immista, Fragm. 77 [88]: *κεκραμέν' ἐν αἵματι.* Tum quod manu fit, in manu vel inter manus fieri dicitur his locis Nem. I, 52: *ἐν χερὶ τινάσσων φάσγανον,* Pyth. II, 8: *ἀγαναῖσιν ἐν χερσὶ ποικιλανίους ἐδάμασσε πώλους*, Ol. II, 63: *οὐ χθόνα ταράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ, non terram turbantes in manuum acie,* ubi non opus est statuere translatam vocis *ἀκμά* significationem *roboris**). Deinde in armis pugnatur et vincitur, Ol. IV, 22: *χαλκέοισι δ' ἐν ἔντεσι νικῶν δρόμον*, Nem. X, 14: *ἐν χαλκέοις ὅπλοις Τηλεβόας ἔναρεν*, ubi nos potius arma tanquam instrumenta habere solemus. Eodem refero Isthm. I, 25: *ἀκοντίζοντες αἰχμαῖς, καὶ λιθίνοις ὁπότ' ἐν δίσκοις ἵεν, et quando in discis jaciebant;* cuius loci difficultas in eo inest, quod vox jaciendi

*) Cf. Aesch. Perss. 1060 (ed. Teubn. a. 1857): *πέπλον δ' ἔρεικε ποντίαν ἀκμῇ χερῶν.*

in locum generalioris vocis pugnandi substituta est; non enim esset, quod quis miraretur si dictum esset: ἐν δίσκοις ἠγωνίσαντο*). Reiicienda autem est ea explicandi ratio, ex qua ἐν δίσκοις sit: *in ludo discorum*, quod in interpretatione Latina a Boeckhio scripta legitur. Porro, ut dicitur ἐν ὅπλοις νικᾶν, sic in locum armorum abstracta vox roboris substituitur Ol. XIII, 55: ἐν ἀλκᾷ ἐδόκησαν ἐπ' ἀμφότερα μαχᾶν τέμνειν τέλος, ubi robur quasi armatura est, in qua pugnatur pugnarumque discrimen adducitur; quare recte Dissenius ἐν ἀλκᾷ explicat per ἀλκᾷ ἐπιειμένοι. Transeo ad eos locos, quibus animi habitus vel motus significantur, quibus quis agitatur vel quibus implicitus aliquid agit. Huc referenda Nem. IX, 27: ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοις φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν, Nem. III, 32: παλαιαῖσι δ' ἐν ἀρεταῖς γέγαθε Πηλεὺς ἄναξ ὑπέραλλον αἰχμὰν ταμών, *antiquis in virtutibus laetatus est abscissa hasta;* nam ἐν ἀρεταῖς pertinet ad γέγαθε, non ad ταμών. Similem rationem cernis Ol. XIII, 51: μῆτίν τε γαρύων παλαιγόνων πόλεμόν τ' ἐν ἡρωΐαις ἀρεταῖσιν, nam bellum praedicaturus est quod Corinthii heroicis in virtutibus gesserunt. Accedimus ad eas nunc dictiones, in quibus id quo aliquid efficitur tanquam ea res habetur, in qua actio ipsa apparet vel cernitur. Sic Nem. VIII, 26: κρυφίαισι γὰρ ἐν ψάφοις 'Οδυσσῆ Δαναοὶ θεράπευσαν actionem honorandi in clandestinis Danaorum suffragiis constitisse in eisque cognitam esse dicitur, eodem modo quo Nem. XI, 17: ἐν λόγοις δ' ἀστῶν ἀγαθοῖσί μιν αἰνεῖσθαι χρεών laudandi actionem in bonis civium sermonibus cernendam esse indicatur. Huc pertinet magna quoque illa copia dictionum ad res musicas pertinentium, in quibus sunt Ol. I, 15: ἀγλαΐζεται δὲ καὶ μουσικᾶς ἐν ἀώτῳ, Ol. V, 19: Λυδίοις ἀπύων ἐν αὐλοῖς (quod cavendum est ne vertatur:

---

*) Xenoph. Mem. III, 92: φανερὸν δ' ὅτι καὶ Λακεδαιμόνιοι οὔτ' ἂν Θρᾳξὶν ἐν πέλταις καὶ ἀκοντίοις οὔτε Σκύθαις ἐν τόξοις ἐθέλοιεν ἂν διαγωνίζεσθαι, quem locum apte confert Dissenius.

unter Flötenspiel vel *sub tibiis*; nam celebrandi actio [ἀπύειν] inest et apparet in ipso tibiarum cantu), Isthm. IV, 27. Pyth. V, 104. Ol. VII, 12. XIV, 17. Pyth. II, 69: τὸ Καστόρειον ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς, Nem. III, 79: πόμ' ἀοίδιμον ἐν πνοαῖς αὐλῶν. Denique memorandus est is usus praepositionis ἐν, ex quo in lege aliqua agi dicitur pro vulgari dicendi usu, ex quo secundum aliquam legem agitur. Cf. Pyth. I, 62: πόλιν Ὑλλίδος στάθμας Ἱέρων ἐν νόμοις ἔκτισσε, Nem. X, 28: στέφανον λαχὼν ἐν Ἀδραστείῳ νόμῳ, Isthm. II, 38: ἱπποτροφίας νομίζων ἐν Πανελλάνων νόμῳ. Huc etiam Pyth. II, 43 voco: οὔτ' ἐν ἀνδράσι γεράσφορον οὔτ' ἐν θεῶν νόμοις, nam in Dissenii partes ire nolo, qui θεῶν νόμους breviter pro eis locis dictum esse credit, ubi deorum leges valeant; quae ratio non minus falsa est, quam si quod supra vidimus Boeckhius ἐν δίσκοις pro ἐν δίσκων ἀγῶνι, vel Dissenius μαλαχθεὶς ἐν παγκρατίου στόλῳ (Nem. III, 16) pro: fractus in pugna cum pancratiastarum exercitu dicta esse putant. Addo illi usui Ol. II, 75: ὅρμοισι χέρας ἀναπλέκοντι καὶ κεφαλὰς βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδαμάνθυος, atque usitatum ἐν δίκᾳ, quod legitur Ol. II, 16: πεπραγμένων ἐν δίκᾳ, VI, 12: ἐν δίκᾳ φθέγξατο, Pyth. V, 14: ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ, Nem. V, 14: ἐν δίκᾳ μὴ κεκινδυνευμένον. Haec hactenus; nam satis declaratum videtur, omnibus eis locis, in quibus praepositioni ἐν vis instrumentalis vel huic similis tribui solet, Pindarum certam legem in usu praepositionis secutum esse atque aliter ac nos rationem localem instrumentali rationi praetulisse; quo jure hoc fecerit et quam concretam vim sermoni suo hac re tribuerit, exemplis ipsis modo allatis probatum est.

Transeamus ad eum usum, ex quo ἐν cum dativo verbis, quibus movendi notio inest, additur. Qui usus in eo a vulgari usu diversus est, quod hic verba cum ἐν composita amet, quibus objectum in dativo casu adiciatur. Pindarus autem, quantum fieri potest, verba composita devitat, quia in eis praepositionis vis plerumque deminuta est

vel etiam prorsus evanuit. Tum vero saepe fit, ut verbis movendi objectum non praepositione aliqua, quae derigendi notionem habeat, sed propositione *ἐν* addatur. Quae res in verbo *τιθέναι* et nonnullis aliis omnium consuetudo, in ceteris minus usitata est. Singula huius usus videas quaeso, quibuscum quae de verbis cum *ἐν* compositis notatu digna videntur conjungamus. Verbum *ἐντιθέναι* apud Pindarum non extat; at haec habes, Pyth. III, 38: *τείχει θέσαν ἐν ξυλίνῳ σύγγονοι κούραν*, VIII, 12: *τιθεῖς ὕβριν ἐν ἄντλῳ*, III, 64: *εἰ τί οἱ φίλτρον ἐν θυμῷ ὕμνοι τίθεν*, Nem. VIII, 43: *μαστεύει δὲ καὶ τέρψις ἐν ὄμμασι θέσθαι πίστιν*, Ol. XI, 63: *ἐν δόξᾳ θέμενος*, Pyth. XI, 37: *θῆκεν Αἴγισθον ἐν φοναῖς*. Quorum tribus locis (Pyth. III, 64. Nem. VIII, 43. Ol. XI, 63) interpretes tmesin statuere conati sunt; quod fieri non licet, quia in tmesi praepositionem nusquam nomen sequitur quod praepositioni jungi possit; de qua re infra fusius disseremus. Neque hoc loco tmesin statuere licet, Ol. VIII, 68: *ἐν τέτρασιν παίδων ἀπεθήκατο γυίοις νόστον ἔχθιστον* (cf. p. 10 sq.); atque Ol. XIII, 20: *τίς γὰρ ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα, ἢ θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλέα δίδυμον ἐπέθηκε*; non opus est supplere simplex verbum *ἔθηκε* ex *ἐπέθηκε*, sed hoc ipsum *ἐπέθηκε* ad priorem quoque interrogationis partem referendum est: *τίς ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν ἐπέθηκε μέτρα*; Tum verbo *πίπτειν* additur *ἐν* cum dativo Ol. VII, 69: *τελεύτασαν δὲ λόγων κορυφαὶ ἐν ἀλαθείᾳ πετοῖσαι*, *perficiebantur verborum vertices quum in veritatem inciderent*, ubi Boeckhius non recte: *exitum habuerunt verborum vertices quae verae* (in veritate) *ceciderant*, coll. Ol. XII, 10: *ἀνθρώποις πολλὰ παρὰ γνώμαν ἔπεσεν*, nam ex hac explicatione verbis *ἐν ἀλαθείᾳ πετοῖσαι* idem dictum esset ac verbis *τελεύτασαν λόγων κορυφαί*. Addenda sunt Pyth. II, 41: *ἐν δ' ἀφύκτοισι γυιοπέδαις πεσών*, Nem. V, 42: *Νίκας ἐν ἀγκώνεσσι πιτνών*, Isthm. II, 26: *χρυσέας ἐν γούνασιν πιτνόντα Νίκας*, III, 41: *ἐν ὕπνῳ γὰρ πέσεν*. Neque his locis tmesin verbi *ἐμπίπτειν* statuere licet, quam-

quam hoc compositum ter apud Pindarum legitur: Pyth. VIII, 81. Nem. VII, 73. Isthm. I, 68. Eandem aliorum verborum structuram videmus Pyth. IX, 47: *ἐν θαλάσσᾳ καὶ ποταμοῖς ψάμαθοι κλονέονται*, Ol. VI, 7: *ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀστῶν ἐν ἱμερταῖς ἀοιδαῖς*, ubi recte Dissenius: *si inciderit in cantus*, Boeckhius vero sine idonea causa ad *ἐπικύρσαις* dativum *ὕμνῳ* intellegendum esse putat; quem quidem dativum Pyth. X, 21: *μετατροπίαις ἐπικύρσαιεν*, et ad verbum *ἐγκύρειν* positum bis legimus: Pyth. I, 100. IV, 282. Porro vide Pyth. IX, 63: *νέκταρ ἐν χείλεσσι καὶ ἀμβροσίαν στάξοισι*, Nem. VIII, 28: *δᾴοισιν ἐν χροῒ ἕλκεα ῥῆξαν*, Ol. XI, 82: *ἐν ἅπαντι κράτει αἴθωνα κεραυνὸν ἀραρότα*, ubi Boeckhius injuria *ἐναραρότα ἅπαντι κράτει* jungit: *summae potentiae adaptatum*; at est: *ad quodque genus potentiae aptatum et nexum*; nam Dissenii explicatio: *omni victoriae nexum* subtilior videtur quam verior. Progredior ad *ἐλάω*, quod extat Nem. X, 70: *ἤλασε Λυγκέος ἐν πλευραῖσι χαλκόν*, cuius compositum *ἐνελάω* cum dativo Pyth. VIII, 9 legitur; *πήγνυμι* Fragm. 137 [140]: *ἐπάξαντο λόγχας ἐνὶ σφισὶν αὐτοῖς*, cuius compositum *ἐμπήγνυμι* cum dativo Pyth. II, 91 extat. Itidem verbo *βάλλειν* praepositio *ἐν* additur Ol. XIII, 16: *πολλὰ δ' ἐν καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον ὧραι*, Pyth. I, 74: *ὅς σφιν ἐν πόντῳ βάλεθ' ἁλικίαν*, ubi rursus Boeckhius minus recte *ἐνεβάλετο πόντῳ* jungit, quamquam *ἐμβάλλειν* cum dativo saepius extat: Ol. IX, 73. VII, 44. Pyth. IV, 201. Nem. VII, 12. X, 68. Fragm. 77 [88]. Denique verbum *μίγνυμι*, ubi significat: *compotem alicuius rei reddere**), nonnunquam illum usum induit, Ol. I, 90: *νῦν δ' ἐν αἱμακουρίαις ἀγλααῖσι μέμικται*, Isthm. II, 29: *ἵν' ἀθανάτοις Αἰνησιδάμου παῖδες ἐν τιμαῖς ἔμιχθεν*, Pyth. IV, 251: *ἔν τ' Ὠκεανοῦ πελάγεσσι μίγεν πόντῳ τ' ἐρυθρῷ Λαμνιᾶν*

---

*) Hanc significationem verbum *μίγνυμι* saepe apud Pindarum iniit, et praeter hoc etiam *συμμίγνυμι, προσμίγνυμι, κεράννυμι, πελάζω* al.

τ' ἔθνει γυναικῶν ἀνδροφόνων, venerunt ad . . .; cavendum autem est in his quoque, ne praepositio per tmesin a verbo simplici separata esse videatur. In universum hoc animadvertendum est, etiam hunc usum ad significantem vim et perspicuitatem Pindarici sermonis multum conferre.

Praeter ea verba cum *ἐν* composita, quae jam commemoravimus, *ἐμβάλλω, ἐμπήγνυμι, ἐνελάω, ἐγκύρω* et *ἐμπίπτω,* dativus qui indicat, in quem hominem vel in quam rem actio inferatur, additur his transitivis *ἐναρμόζω* (Ol. III, 5. Isthm. I, 16), *ἐμπαίω* (Nem. VI, 58), *ἐμπνέω* (Ol. VIII, 70) et intransitivo *ἐνθρώσκω* (Pyth. III, 37, ubi cum Scholiasta ad v. 66. jungo *ἐνθορὸν ὄρει,* non autem cum Boeckhio, Dissenio, ceteris: *πολλὰν ὄρει ὕλαν, magnam montanam silvam).* Accusativus autem non legitur nisi uno loco Nem. I, 38: *σπάργανον ἐγκατέβα.* Tum nonnullis verbis intransitivis dativus eius rei, in qua actio fit, vel eius loci, ubi fit, addi solet, Pyth. X, 12: *τὸ δὲ συγγενὲς ἐμβέβακεν ἴχνεσιν πατρός*, Nem. XI, 44: *μεγαλανορίαις ἐμβαίνομεν*, Nem. VII, 38: *Μολοσσίᾳ δ' ἐμβασίλευεν*, Pyth. IV, 153: *θρόνῳ ἐγκαθίζων.* Denique extant haec verba: *ἐντέλλω* (Ol. VII, 40), *ἐνδείκνυμι* (Ol. VII, 58), *ἐνσκίμπτω* (Pyth. III, 58) *ἐντανύω* (Pyth. IV, 129. 227.), *ἐναίρω* (Nem. III, 47. X, 15), *ἐναρίζω* (Nem. VI, 59), *ἐγκίρνημι* (Nem. IX, 50), *ἐμπιπίσκω* (Fragm. 77 [88]), quibus fortasse addendum *ἐμπεδάω* (Pyth. XII, 14*)),

---

*) Pyth. XII, 13 de Perseo dicuntur haec:

ἤτοι τό τε θεσπέσιον Φόρκοιο μαύρωσε γένος,
λυγρόν τ' ἔρανον Πολυδέκτᾳ θῆκε ματρός τ' ἔμπεδον
δουλοσύναν τό τ' ἀναγκαῖον λέχος.

Recte quidem hoc loco praedicatum *λυγρὸν θῆκε* quadrat in objectum *ἔρανον*: funestas reddidit symbolas nuptiarum Polydectae; at non adaptatum videtur verbis *ματρὸς ἔμπεδον δουλοσύναν.* Legendum mihi videtur pro voce *ἔμπεδον*: *ἐμπέδα*, impedivit vel cessavit. Tum vertendum est: *et funestas Polydectae symbolas nuptiarum reddidit et matris servitutem eiusque coactum conjugium cessavit.* Verbum *πεδᾶν* saepius apud Pindarum legitur; *ἐμπεδᾶν* semel apud Herodotum (IV, 69, ubi tamen alii *ἐμποδίσαντες* pro *ἐμπεδήσαντες* habent).

atque intransitiva *ἐνέχομαι* (Pyth. VIII, 49), *ἐμπρέπω* (Pyth. VIII, 28). Attamen neminem effugiet, verba cum *ἐν* composita, quae apud ceteros scriptores et poëtas frequentissima sunt, apud Pindarum raro tantum legi; qua certe re trita et vulgaria poëta evitavit. — Tria denique adjectiva cum *ἐν* composita affero propter eum praepositionis usum, de quo p. 22 egimus, *ἔννομος* (Ol. VII, 84. Pyth. IX, 57), *ἔνδικος* (Pyth. V, 104) et *ἐνόρκιος* (Ol. II, 92), quod est pro vulgari *ἔνορκος*.

ΣΥΝ.

De forma praepositionis *σύν* notandum est, Pindarum nonnunquam etiam *ξύν* dixisse, sed nunquam fere nisi metri causa, ut Nem. XI, 12: *ἀτρεμίαν τε ξύγγονον.* Nonnullis aliis locis lectio dubia est, quum optimi codices *ξύν* praebeant metro non exposcente*).

Uno loco, Isthm. V, 12: *εἰ γάρ τις ἀνθρώπων δαπάνᾳ τε χαρεὶς καὶ πόνῳ πράσσει θεοδμάτους ἀρετάς, σύν τέ οἱ δαίμων φυτεύει δόξαν ἐπήρατον· ἐσχατιὰς ἤδη πρὸς ὄλβου βάλλετ᾽ ἄγκυραν,* praepositio absolute posita est adverbiali sensu: *simulque;* cf. Dissen. in ed. Goth. Facile autem cogitari possunt haec: *σύν τε δαπάνᾳ καὶ ἀρεταῖς.* Tmesis verbi *συμφυτεύειν*, quam Piersonus statuit**), nullo modo apta est. —

Praepositio *σύν* ubique notionem societatis et conjunctionis vel hominum vel rerum tenet. Ex multis variisque huius usus modis pauca tantum eligam. Atque primum apud ceteros minus usitatum est, praepositionem *σύν* cum dativo objecto addi. Vulgare enim est, praedicato eam addi ita ut aliquis comitante aliquo agere dicatur: *Ἐφάρμοστος κωμάζει σὺν ἑταίροις, Epharmostus comissatur amicis comitantibus;* ei igitur, qui Epharmostum comitantur,

*) Cf. Boeckh. Fragm. p. 610.
**) Rhein. Mus. XI, p. 398.

participes sunt actionis ipsius. Pindarus autem nonnunquam *σύν* cum dativo etiam objecto addit, ita ut aliquis una cum altero pati videatur. Cf. Pyth. XI, 20: *Κασσάνδραν πολιῷ χαλκῷ σὺν Ἀγαμεμνονίᾳ ψυχᾷ πόρευσ' Ἀχέροντος ἀκτὰν παρ' εὔσκιον, Cassandram una cum Agamemnone interfecit,* Ol. XIII, 41: *Πτοιοδώρῳ σὺν πατρὶ μακρότεραι Τερψίᾳ θ' ἕψοντ' Ἐριτίμῳ τ' ἀοιδαί,* Isthm. III, 90: *σὺν Ὀρσέᾳ δέ νιν κωμάξομαι.*

Tum eodem modo, quo *ἐν*, etiam haec praepositio nonnunquam instrumentalem significationem asciscere videtur; sed manifestum est, his quoque locis aliam rationem inesse quam quae nobis placet; nam quod nobis id esse videtur, cuius ope aliquid efficitur, a Pindaro tanquam id cogitatur, quocum conjunctus et sociatus aliquis agit. Huc spectant Nem. X, 48: *σὺν ποδῶν χειρῶν τε νικᾶσαι σθένει,* Pyth. XII, 21: *ὄφρα σὺν ἔντεσι μιμήσαιτ' ἐρικλάγκταν γόον,* quibuscum similis praepositionis *ἐν* usus p. 20 exemplis descriptus conferatur; tum Nem. IX, 49: *νεοθαλὴς δ' αὔξεται μαλθακᾷ νικαφορία σὺν ἀοιδᾷ,* et audacius dicta Isthm. IV, 35: *σὺν μάχαις δὲ πόλιν Τρώων πράθον* et Pyth. IX, 115: *σὺν δ' ἀέθλοις ἐκέλευσεν διακρῖναι ποδῶν, ἅντινα σχήσοι τις ἡρώων.* Eodem referenda Ol. X, 4: *εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι,* Pyth. VIII, 73: *ἐσλὰ πέπαται μὴ σὺν μακρῷ πόνῳ,* atque audacius rursus dictum Ol. II, 42: *ἰδοῖσα δ' ὀξεῖ' Ἐρινὺς ἔπεφνέ οἱ σὺν ἀλλαλοφονίᾳ γένος ἀρήϊον, mutua caede genus bellicosum occidit;* his locis *πόνος* et *ἀλλαλοφονία* tanquam eae res cogitari possunt, quae ad efficiendum aliquid adhibentur; proprie autem nihil significatur nisi quasdam actiones cum eis conjunctas esse. Exinde etiam res vel status, quibus actio aliqua nexa et conjuncta est, nonnunquam nobis causae esse videntur, quarum vi et ope actio fiat. Cf. Ol. II, 18: *λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ' ἄν,* Ol. IX, 26: *εἰ σύν τινι μοιριδίᾳ παλάμᾳ Χαρίτων νέμομαι κᾶπον,* Pyth. IV, 51: *σὺν τιμᾷ θεῶν νᾶσον ἐλθόντες,* ib. 260: *Λιβύας πεδίον σὺν θεῶν τιμαῖς ὀφέλλειν,* quo in utroque loco *τιμὰ θεῶν*

recte explicatur pro honore, quem dei hominibus tribuunt. Huc pertinet etiam, quod dicitur *σὺν δίκᾳ* Pyth. IX, 96. Nem. IX, 44, pari modo atque *ἐν δίκᾳ*, quod supra vidimus. Denique harmonia, quae carmini juncta est, per praepositionem *σύν* substantivo additur Nem. IV, 45: *ἐξύφαινε, φόρμιγξ, Λυδίᾳ σὺν ἁρμονίᾳ μέλος*, eodem sensu, quo supra *τὸ Καστόρειον ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς* dictum esse cognovimus.

Restat ut eum praepositionis *σύν* usum commemoremus, ex quo aliquid una vel eodem tempore cum altera actione factum esse dicitur. Cf. Pyth. III, 42: *οὐκέτι τλάσομαι γένος ἁμὸν ὀλέσσαι ματρὸς βαρείᾳ σὺν πάθᾳ, una cum matris gravi exitu,* Nem. II, 24: *Δία κωμάξατε Τιμοδήμῳ σὺν εὐκλέϊ νόστῳ, Jovem celebrate in Timodemi gratiam una cum eius glorioso reditu,* h. e. eo tempore quo redit. Inde ex hac ratione fere temporalis usus praepositionis profectus est. Quem vides Pyth. IV, 10: *ὡς τὸ Μηδείας ἔπος ἀγκομίσαιθ᾽ ἑβδομᾷ καὶ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ Θήραιον, ut Medeae Theraeum vaticinium referret (cum) septima decima aetate,* Fragm. 88 [100]: *χρῆν μὲν κατὰ καιρὸν ἐρωτων δρέπεσθαι, θυμέ, σὺν ἁλικίᾳ, in juventute,* Pyth. XI, 10: *κελαδήσετ᾽ ἄκρᾳ σὺν ἑσπέρᾳ, ad seram vesperam,* Pyth. VIII, 7: *τὺ γὰρ τὸ μαλθακὸν ἔρξαι τε καὶ παθεῖν ὁμῶς ἐπίστασαι καιρῷ σὺν ἀτρεκεῖ, opportuno tempore.* In quibus omnibus actionem aliquam cum quodam tempore congruisse dicitur.

Composita cum *σύν* apud Pindarum non multa inveniuntur neque in his poëta vulgarem usum excedit. Notatu digna sunt ea verba, quae societatem agendi significant; in quibus adverbialis vis praepositionis maxime cognoscitur. Videas haec, Ol. X, 16: *ἔνθα συγκωμάξατ᾽ ὦ Μοῖσαι, ubi* una (sc. mecum) *comissamini o Musae,* Ol. XI, 97: *τρέφοντι δ᾽ εὐρὺ κλέος κόραι Πιερίδες Διός. ἐγὼ δὲ συνεφαπτόμενος* (sc. *τοῦ ἔργου*) . . ., *ego vero* una (sc. cum Musis) *operam navans huic rei.* Societas vero duorum objectorum significatur Isthm. IV, 63: *καὶ πτερόεντα νέον σύμπεμψον ὕμνον, et alatum novum hymnum* una (sc. cum

hoc hymno) *mitte.* — Tum verbum *συνάντεσθαι*, congredi cum aliquo, absolute positum est Ol. II, 39: *ἔκτεινε Λᾷον μόριμος υἱὸς συναντόμενος, in congressu;* dativo additum vides in translatis dictionibus Ol. II, 96: *κόρος οὐ δίκᾳ συναντόμενος, invidia non justitiae occurrens,* h. e. *non justitiae juncta,* ubi Dissenius errat interpretatus: *non honestum in modum aggrediens;* Isthm. II, 2: *φῶτες κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμενοι, ad citharam accedentes,* h. e. *cithara instructi.* Denique verbum *συναορεῖν,* deductum a *συνάορος* (Nem. IV, 5) et apud ceteros non extans, apud Pindarum legitur Fragm. 233 [198]: *γλυκεῖά οἱ καρδίαν ἀτάλλοισα γηροτρόφος συναορεῖ ἐλπίς.*

ΔΙΑ.

Praepositio *διά* in Pindaricis carminibus tam rara est, ut omnes quibus extat locos commemorare liceat. Octies vel novies genetivo, decies accusativo juncta est. Primaria eius significatio penetrandi per aliquam rem extat Ol. I, 6. Pyth. III, 57. Nem. VI, 54. 73. VII, 26. Isthm. III, 55. Fragm. 77 [88] et 238 (quod fragmentum incertum est), quibus locis genetivo addita est; accusativum vides Pyth. IX, 123. Isthm. III, 59. V, 23. Ex quo numero ascribo haec, Nem. VI, 73: *τάχος δι' ἅλμας, celeritas delphini per mare,* ubi significantem brevitatem sermonis animadvertas, nam est pro celeritate currendi per mare; Isthm. III, 55: *Ὅμηρός τοι τετίμακεν (Αἴαντα) δι' ἀνθρώπων, Homerus Aiacis honorem divulgavit per homines,* ubi similem brevitatem videmus. Tum id, quo aliquid efficitur, hac praepositione indicatur, genetivo addito Pyth. IV, 279: *αὔξεται καὶ Μοῖσα δι' ἀγγελίας ὀρθᾶς.* Deinde, accusativo addito, eum, per quem vel cuius ope aliquid fit, significatum vides Nem. VII, 21: *πλέονα λόγον Ὀδυσσέος διὰ τὸν ἁδυεπῆ γενέσθ' Ὅμηρον,* Isthm. IV, 11: *κρίνεται δ' ἀλκὰ διὰ δαίμονας ἀνδρῶν;* itidemque causa significata est Pyth. II, 20: *διὰ τεὰν δύναμιν δρακεῖσ' ἀσφαλές,* Isthm. IV, 6: *διὰ τεὰν*

τιμὰν θαυμασταὶ πέλονται, tuo beneficio, coll. *σὺν τιμᾷ θεῶν* pag. 27 *).

De compositis, quae saepius leguntur, aeque paucis absolvemus. Atque primum notanda sunt verba administrandi *διέπειν* (Ol. VI, 93. Nem. X, 53. Fragm. 160 [150]), *διαιτᾶν* (Ol. IX, 66), *διανέμειν πόλιν, ναον, στρατόν* (Pyth. IV, 261. VIII, 62). Tum saepe *διά* in compositis actionem usque ad finem ducendam vel per omnes partes perficiendam significat; v. Ol. XIII, 91: *διασωπάσομαί οἱ μόρον ἐγώ, prorsus reticebo eius mortem ego*, Ol. X, 21: *τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ' αἰθων ἀλώπηξ οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος, non prorsus mutaverint.* Neque vero idem inest in verbo *διακρίνειν*, *dijudicare*, nam in hoc praepositio vim separandi, secernendi rectum a falso habet, quod imprimis elucet ex Pyth. I, 68: *διακρίνειν ἔτυμον λόγον ἀνθρώπων* **).

---

*) Cf. Naegelsbach. ad Hom. Il. I, 72.

**) Pyth. I, 67 sq. legitur:

Ζεῦ τέλει', αἰεὶ δὲ τοιαύταν Ἀμένα παρ' ὕδωρ
αἶσαν ἀστοῖς καὶ βασιλεῦσιν διακρίνειν ἔτυμον λόγον ἀνθρώπων.

Frustra laborant interpretes in explicando hoc loco. Boeckhius, nott. critt. ad Ol. XIII, 114, *διακρίνειν* ex omisso imperativo *δός* explicat atque *ἔτυμον λόγον ἀνθρώπων* subjectum, *τοιαύταν αἶσαν* objectum esse censet: *precor verus hominum sermo semper talem fortunam Aetnae adjudicet et decernat.* Sed et sententia et structura verborum repugnant. In Hermanni vero explicatione prorsus non intellegitur, quid significent vbb. *ἀστοῖς καὶ βασιλεῦσιν.* Scribendum conicio: *Ζεῦ τέλει', αἰεὶ δίδοι ταύταν... Iuppiter perfector, praebe semper ad Amenae aquas hanc sortem civibus et regibus, ut sermones hominum dijudicent et veros esse probent; ταύταν αἶσαν* ad ea quae priori stropha dicta sunt (v. 61.) referendum; *διακρίνειν ἔτ. λ. ἀνθρ.* = *ὥστε διακρίνειν*, ut saepe apud Pindarum. Cf. Schol. ad v. 130: *ὦ Ζεῦ τέλειε, διαπαντὸς τοῖς Αἰτναίοις... τοιαύτην μερίδα βασιλεῦσί τε καὶ δημόταις παράσχου, ὥστε τὸν τῶν ἀνθρώπων λόγον διακρίνειν καὶ τοῦτο* (sic enim verba transponenda) *ἀληθὲς ἀποφαίνειν, ὅτι ἐν ἐλευθερίᾳ εἰσίν.* — Pari modo locus Ol. XIII, 114 explicandus est; nam hic infinitivus *ἐκνεῦσαι* pendet ex vbb. *αἰδῶ δίδοι*: *age, da mihi modestiam, Iuppiter perfector, ut enatem levibus pedibus, daque dulcem fortunam jucundarum rerum.* Commate igitur interpungendum est post vocem *ποσίν*: *ἄνα, κούφοισιν ἐκνεῦσαι ποσίν, Ζεῦ τέλει', αἰδῶ δίδοι καὶ τυχὰν τερπνῶν γλυκεῖαν.*

Denique afferamus duo vocabula perrara. In priori *διακομπεῖν*, *insolenter gloriari*, praepositio vim simplicis verbi auget; extat Fragm. 128 [134]: *χρήματά μοι διακομπέων*. Alterum est *διαπλέκειν*, quod significat: *artificiose aliquid contexere* vel *pertexere*; cf. Pyth. II, 82: *ἀγὰν πάγχυ διαπλέκει, flexuram callide et artificiose omni modo contexit*, Pyth. XII, 8: *Γοργόνων οὔλιον θρῆνον διαπλέξαισα*, quod ad artificiosum *νόμον Πολυκέφαλον* referendum est, de quo v. Boeckh. ad h. l.; vis praepositionis deminuta est Nem. VII, 99: *ἐμπεδοσθενέα βίοτον ἥβᾳ διαπλέκοις*.

ΥΠΕΡ.

De praepositione *ὑπέρ* apud Pindarum haud frequenti paucis absolvamus. Genetivo juncta quindecim locis, accusativo tribus locis extat. Ubi genetivo juncta est, maxime propriam vim servat. Cf. Isthm. VII, 9: *τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς γε Ταντάλου λίθον*, Fragm. 70 [77. 78] *ὀρέων ὕπερ ἔστα*. Verbis movendi *ὑπέρ* cum genetivo additum est Pyth. II, 68: *μέλος ὑπὲρ πολιᾶς ἁλὸς πέμπεται*, IV, 26. IX, 52. Tum quod ultra aliquem locum est significatur Nem. III, 21: *οὐκέτι πρόσω ἀβάταν ἅλα κιόνων ὑπὲρ Ἡρακλέος περᾶν εὐμαρές*. Neque vero idem significatum est Nem. VII, 65: *Ἰονίας ὑπὲρ ἁλὸς οἰκέων*, ubi potius explicandum est: *ad mare Jonium habitans;* nam regiones mari adjacentes mari altiores sunt, cf. Dissen. in ed. Goth. Pari modo Pyth. I, 18: *νῦν γε μὰν ταί θ' ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει στέρνα λαχνάεντα, Cumae imminentes montes.* — Sequitur translatus praepositionis usus. Atque, quod in gratiam alicuius rei vel hominis fit, hac praepositione indicatur Nem. VIII, 13: *ἱκέτας πόλιός θ' ὑπὲρ φίλας ἀστῶν θ' ὑπὲρ τῶνδε*, Isthm. V, 3: *κρητῆρα μελέων κίρναμεν Λάμπωνος γενεᾶς ὕπερ*, itidem quod nomine alicuius fit Pyth. I, 32: *ἀνέειπέ νιν ἀγγέλλων Ἱέρωνος ὑπὲρ καλλινίκου, nomine et jussu Hieronis.* Ex hoc usu profectum est, quod dicitur

Nem. VII, 42: *μάχα ὑπὲρ κρεῶν, pugna de carnibus,* proprie *in gratiam carnium.* Tum omnino causa significata est Isthm. V, 29: *ἐς πόλεμον ἄγε σὺν Τιρυνθίοισι πρόφρονα σύμμαχον Λαομεδοντιᾶν ὑπὲρ ἀμπλακιᾶν, ob delicta Laomedontis.* Denique *ὑπέρ* cum genetivo excellentiam indicat, in qua significatione apud ceteros semper accusativus praepositioni jungitur; vides hunc usum Nem. IX, 54. Isthm. II, 36. Fragm. 33 [39] et Ol. XI, 72, ubi ex optimis codicibus *ὑπὲρ ἁπάντων* nunc recte restitutum est.

In simili significatione accusativum videmus Ol. I, 28: *ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον δεδαιδαλμένοι μῦθοι.* Eidem casui *ὑπέρ* additum est vi propria: Pyth. II, 80 et Fragm. 197 [170].

Composita verba haec extant apud Pindarum, Ol. I, 57: *κόρῳ δ' ἕλεν ἄταν ὑπέροπλον, ἅν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον.* Pyth. V, 25: *παντὶ θεὸν αἴτιον ὑπερτιθέμεν, cuique rei deum auctorem superponere,* Fragm. 4 [1]: *οὐ θέμιν ὑπερβαίνοντες.* Fragm. 133 [137]: *ἄνακτα τῶν πάντων ὑπερβάλλοντα χρόνον μακάρων, omnibus deis praestantem,* Nem. VII, 66: *οὐχ ὑπερβαλών,* sc. *μέτρον, modum non excedens,* h. e. *non superbus;* tum ut dicitur *ὑπέρ τινος θνήσκειν.* sic Pyth. VI, 30: *ὑπερέφθιτο πατρός, occubuit in gratiam patris* vel *pro patre;* denique praestantia significatur Ol. XIII, 15: *ἄκραις ἀρεταῖς ὑπερελθόντων ἱεροῖς ἐν ἀέθλοις,* ubi *ὑπερέρχεσθαι* idem est quod superare. — Adjectiva cum hac praepositione composita plerumque notionem immodici praebent, ut *ὑπέρβιος, ὑπέρθυμος, ὑπερμάκης, ὑπερμενής, ὑπέροχος, ὑπέροπλος, ὑπέρφατος, ὑπερφίαλος* al.

ΚΑΤΑ.

Praepositio *κατά* uno loco Pindarico genetivo juncta est Ol. II, 59: *κατὰ γᾶς,* sub terra. Ceteri loci — circiter triginta — accusativum praebent: quos omnes recensebimus. Incipiamus ab eo praepositionis usu, ex quo notio

diffundendi per locum in ea inest. Ita viae, in quibus vel per quas itur, designantur his locis, Pyth. IV, 247: *μακρά μοι νεῖσθαι κατ' ἀμαξιτόν, longum mihi redire per vehicularem viam* vel *in vehiculari via* (cave ne vertas, id quod conexus loci vetat: *redire in vehicularem viam!*), ubi tamen etiam vis descendendi, quae proprie in praepositione inest, cernitur, nam a summo carminis deflectit poëta ad finem; Pyth. VIII, 86: *κατὰ λαύρας πτώσσοντι, per angiportus trepidant,* Pyth. XI, 38: *κατ' ἀμευσιπόρους τριόδους ἐδινάθην, per trivium vagatus sum;* sequor enim propter analogiam ceterorum locorum Hermannum, qui accusativum pluralis restituit ex librorum lectione *κατ' ἀμευσίπορον τρίοδον,* quae metro non convenit quamque Boeckhius in genetivum *κατ' ἀμευσιπόρων τριόδων* mutavit; tum Nem. II, 7: *πατρίαν εἴπερ καθ' ὁδόν νιν εὐθυπομπὸς αἰὼν ταῖς μεγάλαις δέδωκε κόσμον Ἀθάναις,* Fragm. 6 [7]: *Θέμιν Ὠκεανοῦ παρὰ παγᾶν Μοῖραι ποτὶ κλίμακα σεμνὰν ἄγον Ὀλύμπου λιπαρὰν καθ' ὁδόν,* qui locus de ea causa prae ceteris notatu dignus est, quia ex eo cerni potest, quam radicitus primaria vis praepositionis evanuerit; non modo enim non de descendendo sermo est, sed de ascendendo ex Oceano ad Olympum. — Neque vero solum ad verba movendi *κατά* cum accusativo hoc modo additur, sed omnino, ubi actio vel eius vis per spatium quoddam patere videtur, Pindarus hac praepositione utitur. Huc faciunt ei loci, quibus per magnum terrae spatium gloria alicuius hominis vel rei dispersa esse dicitur, Fragm. 206 [176]: *Θήβαν ἔτι μᾶλλον ἐπασκήσει θεῶν καὶ κατ' ἀνθρώπων ἀγυιάς, Thebas etiam magis illustrabit per deorum et hominum vias,* Ol. I, 116: *πρόφαντον καθ' Ἕλλανας ἐόντα,* Ol. VI, 71: *πολύκλειτον καθ' Ἕλλανας γένος,* ubi *καθ' Ἕλλανας* idem est quod *καθ' Ἑλλάδα.* Eodem referendum Ol. XIII, 112: *καὶ πᾶσαν κατὰ Ἑλλάδ' εὑρήσεις ἐρευνῶν μάσσον' ἢ ὡς ἰδέμεν.* Status aliquis per terram et per mare patere dicitur Pyth. I, 14: *ἀτύζονται βοὰν Πιερίδων ἀΐοντα, γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀμαιμάκετον.* — Tum notione porrigendi et

patendi per locum debilitata, *κατά* cum accusativo, fere eodem sensu quo *ἐν* cum dativo, de quieto statu dicitur. Accurate hunc praepositionis usum distinxit eiusque originem ex primaria vi duxit G. Hermannus in epistula egregie scripta ad Spitznerum*). Huc voco Ol. IX, 87: *χάρμαι ἐγένοντο Νεμέας Ἐφαρμόστῳ κατὰ κόλπον, in Nemeae recessu*, Nem. X, 17: *Ἡρακλέος, οὗ κατ᾽ Ὄλυμπον ἄλοχος Ἥβα ἔστι.* Addo Pyth. I, 72: *λίσσομαι νεῦσον, Κρονίων, ἅμερον ὄφρα κατ᾽ οἶκον ὁ Φοῖνιξ ὁ Τυρσανῶν τ᾽ ἀλαλατὸς ἔχῃ*, ubi Boeckhius quidem ceterique scholia secuti praepositionem a verbo *ἔχῃ* per tmesin separatam esse dicunt: *precor ut constanter domum mitem* (vel *patriam pacatam) teneat* (*κατέχῃ*), At huic explicationi duo obstant, nam primum *domum pacatam tenere* de interna quidem pace potest dici, non de pace cum aliis gentibus colenda; tum vero tmesis statui non potest, quia praepositionem continuo sequitur accusativus *οἶκον*, qui facillime et arctissime praepositioni jungitur. Construendum est igitur: *ὄφρα ὁ Φοῖνιξ ὁ Τυρσανῶν τ᾽ ἀλαλατὸς ἅμερον ἔχῃ κατ᾽ οἶκον, ut miti modo versetur* vel *se contineat domi;* vocem *ἅμερον* adverbium esse puto, nisi cum accusativo *οἶκον* eam conjungere malis. Ne quis vero in hac dictione *ἔχειν κατ᾽ οἶκον* offendat, cfr. Herod. VI, 39: *Μιλτιάδης δὲ ἀπικόμενος ἐς τὸν Χερσόνησον εἶχε κατ᾽ οἴκους.* — Revertentibus ad rem restant nobis duo loci, quibus *κατά* locum indicat, cuius in proxima vicinitate aliquid est vel fit, Fragm. 112 [123]: *πῦρ πνέοντος ἅ τε κεραυνοῦ ἄγχιστα δεξιὰν κατὰ χεῖρα πατρὸς ἵζεαι, dextram ad patris manum*, et Ol. VII, 36: *ἀνίχ᾽ Ἀφαίστου τέχναισιν χαλκελάτῳ πελέκει πατέρος Ἀθαναία κορυφὰν κατ᾽ ἄκραν ἀνορούσαισ᾽ ἀλάλαξεν ὑπερμάκει βοᾷ, prosiliens in summo patris vertice,*

*) Neue Jahrb. für Phil. u. Paed. 1831, suppl. I, p. 140 (opuscc. V, p. 31 sqq.). Cf. B. Giseke, die allmäl. Entstehung der Gesänge der Ilias aus Unterschieden der Praepositionen nachgewiesen, p. 90 sq.

nam quod Boeckhius dixit: *ex vertice prosiliens*, id in *κατά* inesse non potest.

Tum frequentissimus est usus, ex quo *κατά* convenientiam significat; hinc locutiones *κατ' αἶσαν, secundum jus:* Pyth. IV, 107. X, 26. Nem. III, 16, *κατὰ καιρόν, opportune:* Isthm. II, 22, Fragm. 88 [100], et oppositum *τὶ κομπέω κατ' ἄκαιρον* Pyth. X, 4. Eodem modo Ol. VIII, 78 Boeckhius scripsit: *ἔστι δὲ καί τι θανόντεσσιν μέρος κὰν νόμον ἐρδόμενον*, ubi *κὰν νόμον* idem esset quod *κατὰ νόμον.* Sed offendo ego in hac forma *κάν.* Vulgata lectio est *καννόμον* = *κατάνομον*, sed haec quoque displicet, nam unicus locus, ubi talis apocope ante consonantem *ν* evenit, Homeri est, Od. XV, 464. Scribendum mihi videtur *κἄννομον* (optimorum codicum nonnulli *κἂν νόμον*, Gotting. *κἀννόμον*, — atque jam Stephanus *κἄννομον*), ortum ex *καὶ ἔννομον*: *est vero etiam mortuis pars* **et quidem juste reddita**, vel etiam solum *ἔννομον.* Quae vox extat apud Pindarum Ol. VII, 84. Pyth. IX, 57. Confirmatur autem nostra sententia verbis Scholiastae veteris ad v. 102: *ἔστι δὲ καὶ τοῖς τετελευτηκόσιν ἔννομον καὶ δίκαιον μέρος ἀποδιδόμενον.* — Tum vero huc spectant Nem. IX, 19: *δὴ τόθεν καί ποτ' ἐς ἑπταπύλους Θήβας ἄγαγον στρατὸν ἀνδρῶν αἰσιᾶν οὐ κατ' ὀρνίχων ὁδόν, auspicia non secuti*, Isthm. III, 56: *κατὰ ῥάβδον θεσπεσίων λόγων ἀθύρειν, ad normam divinorum carminum canere*, Pyth. II, 34: *χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον*, III, 109: *τὸν ἀμφέποντ' αἰεὶ φρασὶν δαίμον' ἀσκήσω κατ' ἐμὰν θεραπεύων μαχανάν, pro virili parte venerans.* Eodemque refero Ol. IX, 28: *ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες ἐγένοντο, secundum numen divinum**). — Inde ab hoc usu praepositioni *κατά* notio similitudinis orta est, quae extat Pyth. II, 67: *τόδε μὲν κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολὰν μέλος ὑπὲρ πολιᾶς ἁλὸς πέμπεται, ad instar Phoeniciae mercis.* Neque

---

*) Apte confert Tafelius Eur. Tro. 102: *πλεῖ κατὰ δαίμονα, navigat ex arbitrio divino.*

alienum ab illo usu puto quod legitur Pyth. IV, 125: *καὶ κασίγνητοί σφισιν ἀμφότεροι ἤλυθον κείνου γε κατὰ κλέος, venerunt famam secuti quae de illo divulgabatur* *).

Denique haec singularia ascribamus, Pyth. VIII, 68: *ἑκόντι δ' εὔχομαι νόῳ κατὰ τὶν ἁρμονίαν βλέπειν, ad tuum cantum oculos convertas precor*, nam *κατά* et *βλέπειν* propter interpositum accusativum non licet in unam vocem conjungere, in quem errorem omnes Pindari interpretes inciderunt; tum Isthm. V, 8: *Αἴγιναν κάτα σπένδειν, respectu Aeginae*, h. e. *in Aeginae gratiam*, *libare*, Isthm. III, 29: *ὅσσα δ' ἐπ' ἀνθρώπους ἄηται . . ., ἐπέψαυσαν* (sc. *τούτων*) *κατὰ πᾶν τέλος, consecuti sunt ea perfectum usque ad finem*, h. e. *prorsus et quoquoversus.* De tempore *κατά* apud Pindarum non legitur nisi Ol. XI, 102: *κεῖνον κατὰ χρόνον.* Qui usus ex notione convenientiae, quam in praepositione inesse vidimus, profectus est.

In verbis cum *κατά* compositis bis vocalem *α* abscissam videmus ante consonantes literas: *κατθηκάμεναι* Pyth. IX, 62, *καππαύει* Nem. IX, 15. Praeterea forma *κάπετον* = *κατάπετον* Ol. VIII, 38 notanda est**). — Haec verba maximam partem vim demovendi vel descendendi et exinde vim perdendi vel pereundi habent. Quorum ex magna copia pauca tradamus. Verbum *καταβαίνειν* non una de causa memoratu dignum est. Nam primnum unicus locus Graecus, quo hoc verbum transitivam vim induit, apud Pindarum extat Pyth. VIII, 77: *δαίμων . . . ἄλλον ὑπὸ χειρῶν μέτρῳ καταβαίνει, descendere jubet* vel *descendentem reddit.* Tum in intransitivo usu nonnunquam descendendi notio Graeco homini per se clara nobis insignis videtur et explicatione eget. Ita qui e regione mediterranea ad portum sese confert, is *καταβαίνει*, cf. Pyth. IV, 188: *ἐς δ' Ἰαωλκὸν ἐπεὶ κατέβα ναυτᾶν ἄωτος*, eodem modo

---

*) Cf. Apoll. Rh. II, 753: *ὁρμηθέντες κατὰ κλέος, ὃ πρὶν ἄκουον.*

**) Cf. Boeckh. nott. critt. ad h. l. et Ahrens. de dial. Dor. §. 43, 1.

qui ex alto mari ad portum navem derigit, cf. Nem. III, 25: *κατέβαινε νόστου τέλος, descendebat ad metam reditus,* Ol. VII, 13: *σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν τὰν ποντιὰν ὑμνέων Ῥόδον, cum Diagora descendi* (per mare ad Rhodum) *marinam canens Rhodum,* Pyth. III, 73: *εἰ κατέβαν ὑγίειαν ἄγων, si sanitatem mecum ducens descendissem,* quibus duobus alteris locis de ficta navigatione poëtae ad patriam urbem victoris sermo est. Tum de eo, qui in arenam descendit, hoc verbum dictum vides Pyth. XI, 49: *γυμνὸν ἐπὶ στάδιον καταβάντες,* eodem modo ab eo, qui ad scopum stadii pervenit, translatum ad hominem magna perficientem Nem. III, 42: *ὃς δὲ διδάκτ' ἔχει, ψεφηνὸς ἀνὴρ ἄλλοτ' ἄλλα πνέων οὔ ποτ' ἀτρεκέϊ κατέβα ποδί,* et IV, 38: *σφόδρα δόξομεν δαΐων ὑπέρτεροι ἐν φάει καταβαίνειν*).* Denique de eo dicitur, qui in domum vel templum intrat, quia de limine superiore descendit, Pyth. IV, 55: *Πύθιον ναὸν καταβάντα**).* — Tum in nonnullis verbis praepositio *κατά* descensum sub terram vel in Orcum significat; quae notio, plerisque locis cuique manifesta, inest etiam in Ol. IX, 60: *μὴ καθέλοι μιν αἰὼν πότμον ἐφάψαις ὀρφανὸν γενεᾶς, ne eum mortis tempus deferret* (ne vertas: *auferret!) subole orbum.* In ipso autem hoc verbo *καθαιρεῖν,* vi praepositionis deminuta, notio tollendi inest Pyth. III, 57: *ἀμπνοὰν στέρνων καθέλεν,* Ol. XI, 63: *ἀγώνιον εὖχος ἔργῳ καθελών.* — Deinde verbum *κατακλύζειν* varium usum ascivit; primaria significatio, ex qua undae aliquam rem deorsum ferre dicuntur, videtur Pyth. IV, 38: *πεύθομαι δ' αὐτὰν κατακλυσθεῖσαν ἐκ δούρατος ἐναλίον βᾶμεν σὺν ἅλμᾳ, ex nave undis delatam in mare;* tum vero notio inundandi saepius extat, Ol. IX, 50: *λέγοντι μὰν χθόνα* (obj.) *μὲν κατακλύσαι μέλαιναν ὕδατος σθένος* (subj.),

*) Quem posteriorem usum Kayserus (lectt. Pind. p. 70 sq.) aliter explicavit, poëtae certamen saltus obversatum esse ratus; sed hoc longius repetitum, quamquam Kaysero assentitur L. Schmidt, Pindars Leben u. Dichtung, p. 453. 473.

**) Cf. Hom. Od. X, 432: *Κίρκης ἐς μέγαρον καταβήμεναι.*

Fragm. 74 [84]: *γαῖαν κατακλύσαισα*, Ol. XI, 10: *νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν ὅπα κῦμα κατακλύσσει ῥέον* *). Huic alteri significationi simile est quod legitur Fragm. 164 [154]: *οὐδὲ σιγᾷ κατεῤῥύη, neque silentio superinfusus est.* — Verbum *κατέχειν* eo usu insigne est, ex quo de fama aliquem tenente dicitur, Ol. VII, 10: *ὃν φᾶμαι κατέχοντ' ἀγαθαί*, Pyth. I, 96: *Φάλαριν κατέχει φάτις ἐχθρά.* Simili modo Nem. VIII, 24 dictum est: *ἦ τιν' ἄγλωσσον μέν, ἦτορ δ' ἄλκιμον, λάθα κατέχει ἐν λυγρῷ νείκει.* — Notio depravandi vel perdendi inest in verbis *κατελέγχειν*, *κατ-*

---

*) Ol. XI, 9 sqq.:

ὅμως δὲ λῦσαι δυνατὸς ὀξεῖαν ἐπιμομφάν γε τόκος ἀνδρῶν. νῦν ψᾶφον ἑλισσομέναν
ὅπα κῦμα κατακλύσσει ῥέον;
ὅπα τε κοινὸν λόγον
φίλαν τίσομεν ἐς χάριν;

Dubium esse non potest, quin verba *νῦν ψᾶφον ἑλ. ὅπα κῦμα κατακλύσσει ῥέον*; metaphorice dicta sint; quaerendum igitur, cuius rei effigies voce *ψᾶφος* expressa sit; conexus docet, significari opprobrium illud, de quo poëta antea dixit (*ἐπιμομφάν*); itaque *κατακλύζειν* non est: *deorsum ferre*, sed ut diximus: *inundare* (h. e. *delere*); ergo *ὅπα* non significat: in quam partem, sed: quo modo = *ὅπως*, cf. eiusd. carm. v. 56, ubi *ὅπα* respondet particulae *ὅπως*. Poëta sese cohortatur his verbis: *nunc age, lapidem volutatum fluctus inundet*; *κῦμα ῥέον* effigies est carminis, atque adjectivum *ἑλισσομέναν* non inhaeret nomini *ψᾶφον*, sed praedicato potius jungendum est: *volvendo inundet.* Quae si recte disputata sunt, in altero orationis membro, quod particula *ὅπα* incipit, non idem dictum est: nam quum in priori dictum sit, opprobrium delendum esse, nunc pergit, *κοινὸν λόγον* perficiendum esse, quae verba significant, qua re opprobrium deleri possit. Non recte *κοινὸν λόγον* rationem esse inter Pindarum et Agesidamum contractam intellegunt; est potius res Pindaro et Agesidamo communis; hoc est carmen ipsum Agesidamo et Locris Epizephyriis canendum, de ea causa utrique commune, quia et *Καλλιόπα* (Musa quae cantui praeest) et *Ἄρης* (deus praeses omnium virorum fortium et victorum) *Λοκροῖς μέλει* (v. 14). Hoc modo orationem optime conformatam puto: *nunc age, lapidem volutatum fluctus inundet et communem rem perficiamus ut jucunda gratia eveniat.* Longum autem est interpretum sententias referre, qui in eo maxime errarunt, quod in utroque enuntiato, *ὅπα κατακλύσσει* et *ὅπα τίσομεν*, idem dictum esse putaverint.

αἰσχύνειν, καταμιαίνειν, κατακλᾶν, καταμέμφεσθαι, καταπέφνειν (Fragm. 157 [148]) aliis, notio pereundi in *καταφθίνειν*. Porro notio porrigendi vel patendi per locum etiam in verbis compositis invenitur, Nem. IV, 52: *βουβόται τόθι πρῶνες ἔξοχοι κατάκεινται Δωδώναθεν ἀρχόμενοι πρὸς Ἰόνιον πόρον*, ubi simul notio montium paullatim descendentium inesse videtur. Eodem refero Ol. VI, 56: *κατεφάμιξεν καλεῖσθαί μιν χρόνῳ σύμπαντι μάτηρ τοῦτ' ὄνυμ' ἀθάνατον, divulgavit mater per omnes partes illud filii nomen.* — Denique *κατά* in compositis ad vim simplicis verbi augendam inservit; quod fit in *καταφράζειν* (Ol. XI, 55*), *καταινεῖν, comprobare* (Pyth. IV, 222), *καταφαίνειν, demonstrare* (Nem. X, 11), *κατακρίνειν, decernere* (Fragm. 116 [126]) al.

ΑΝΑ.

Praepositio *ἀνά* ante consonantes saepe apocopen patitur; forma amputata *ἄν* accentu notatur**) et ante literas labiales in *ἄμ* vertitur***).

Dativo additam videmus hanc praepositionem septies, Ol. I, 41: *ἀν' ἵπποις*, Ol. VIII, 51. XI, 69. Pyth. IV, 94: *ἀνὰ δ' ἡμιόνοις ξεστᾷ τ' ἀπήνᾳ ἵκετο*, Ol. XIII, 75: *ἀνὰ βωμῷ θεᾶς κοιτάξατο*, Pyth. I, 6: *εὕδει δ' ἀνὰ σκάπτῳ*

---

*) Hoc loco rectissime Hartungius verborum conformationem demonstravit. Incipit enim nova sententia verbis: *ὁ δ' ἐξελέγχων μόνος ἀλάθειαν ἐτήτυμον χρόνος τὸδε σαφανὲς ἰὼν πόρσω κατέφρασεν*, in quibus nihil mutatum est nisi *ὅ τ' ἐξελέγχων* in *ὁ δ' ἐξ.* atque mox *τὸ δὲ* in *τόδε*. Assentitur L. Schmidt (Pindars Leben u.-Dichtung, p. 109). — Saepe Pindari carmina laborant mala interpunctione. Jam vidimus tales locos. Addo Pyth. III, 15, quo versu nova enuntiatio incipit: *καὶ φέροισα σπέρμα θεοῦ καθαρὸν οὐκ ἔμειν'* ... Vocem *οὐκ* omnes libri habent; sola Aldina *οὐδ'*, quod ei scripserunt, qui ante hanc vocem interpungentes verba *καὶ φέροισα σπέρμα θεοῦ καθαρόν* ad ea quae praecedunt retulerunt.

**) Cf. Reiz. de acc. incl. p. 39 sq.

***) Cf. Boeckh. nott. critt. ad Ol. VII, 61.

Διὸς αἰετός, Fragm. 58 [64. 65]: *ἂν δ' ἐπικράνοις σχέθον πέτρας*, in quibus omnibus notio commorandi super aliqua re vel in superficie rei inest. Postremo quem commemoravi loco Boeckhius *ἄν* per tmesin a verbo *σχέθον* abscissam esse putat; quam sententiam probare non possumus, quum dativus *ἐπικράνοις* medius inter has voces positus necessario cum praepositione conjungendus sit. Ceteroquin patet altera explicandi via; nam *ἄν* etiam adverbium esse potest: **sursum** *vero columnae insulam gestabant.* Sed quum vis sententiae insit in eo, quod columnae insulam, ne in mari circumvagaretur, tenuerint, non in eo quod insulam sursum vel in altum gestaverint, praefero illud, ex quo *ἂν δ' ἐπικράνοις σχέθον πέτραν* simpliciter est: *in capitulis tenebant rupem.*

Saepius quam dativo *ἀνά* accusativo junctum est. Quatuordecim locos novi. Vi ascendendi perdita, pariter ac praepositioni *κατά*, etiam huic notio diffundendi et patendi per locum et exinde commorandi in loco inest: Pyth. II, 60. V, 33. XI, 52. Nem. VI, 46. VIII, 12. Isthm. II, 27. IV, 23. VI, 35. VII, 63. Fragm. 74 [84]. 158 [149]. Deinde ad tempus indicandum adhibetur Ol. IX, 85. Pyth. XI, 56. Nem. III, 49. — De hac quoque praepositione legendus est G. Hermannus in epistula supra laudata ad Spitznerum.

Permagnus est verborum cum *ἀνά* compositorum numerus. In his quoque amputata forma *ἀν* saepe invenitur. Notandae videntur formae *ἀμνάσειεν* (Pyth. I, 47) et *ἀμνάσει* (Pyth. IV, 54), quae pro *ἀν(α)μνάσειεν* et *ἀν(α)μνάσει* sunt*). — De significatione verborum pauca tradamus. Primum notatu digna sunt verba *ἀναπλέκειν* et *ἀναδεῖν* de coronandis victorum comis, Ol. II, 74: *χέρας καὶ κεφαλὰς ὅρμοισιν ἀναπλέκοντι*, Pyth. X, 40: *δάφνᾳ κόμας ἀνδήσαντες*, de coronanda urbe victoris Pyth. II, 6: *ἀνέδησεν Ὀρτυγίαν στεφάνοις*, tum passive dicta Isthm. I, 28:

*) Cf. Ahrens. de dial. Aeol. §. 28, 1.

ἀνδησάμενοι ἔρνεσι χαίτας, Nem. XI, 28. Isthm. II, 16; coronae ipsae comam substringere dicuntur Isthm. IV, 9: *στέφανοι ἀνέδησαν ἔθειραν.* — Tum navigationem nonnunquam significant verba *ἀνάγειν, ἀναβαίνειν,* quod eo magis mireris, quum eandem rem oppositis verbis *καταβαίνειν* et similibus indicatam viderimus. Cf. Nem. XI, 35: *Αἰολέων στρατιὰν χαλκεντέα δεῦρ' ἀνάγων* (ex Peloponneso in Tenedum insulam), Pyth. II, 62: *εὐανθέα δ' ἀναβάσομαι στόλον.* In quibus praepositio significare videtur: *per altum mare.* — Tum vide *ἀνατρέχειν* Ol. VIII, 54: *εἰ δ' ἐγὼ Μελησίᾳ ἐξ ἀγενείων κῦδος ἀνέδραμον ὕμνῳ,* ubi Dissenius *ἀνέδραμον* recte explicat: *recolere, memorare altius repetita re;* accusativus vero *κῦδος* magis ex notione, quae in dativo *ὕμνῳ* inest, pendere videtur quam ex ipso verbo *ἀνέδραμον.* — Denique verbum perrarum est *ἀνᾶγεῖσθαι,* quod extat Ol IX, 80: *εἴην εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι πρόςφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ, plura invenire liceret mihi prompto ad ulterius provehendum in Musarum curru*; Pindarus in heroicis fabulis narrandis pergere et ulterius procedere se posse dicit, nisi officio retineretur Epharmosti victoriarum canendarum. Simplex narrandi notio in hoc verbo inest Nem. X, 19. Isthm. V, 56.

ΑΜΦΙ.

Nullam sane praepositionem Pindarus magis amat nec in ullius usu magis proprius est quam in *ἀμφί.* Qua de causa fusius de ea disputandum videtur. — Absolute positam tanquam adverbium ter eam legimus, Pyth. IV, 81: *ἐσθὰς δ' ἀμφότερόν νιν ἔχεν, ἅ τε Μαγνήτων ἐπιχώριος ἁρμόζοισα θαητοῖσι γυίοις, ἀμφὶ δὲ παρδαλέᾳ στέγετο φρίσσοντας ὄμβρους,* ubi *ἀμφί* suffultum particula *δέ* adverbialiter pro *ἀμφὶ δὲ Μαγνήτων ἐσθῆτι* dictum est. Tum a vi praepositionis etiam magis abalienata est Pyth. VIII, 85: *οὐδὲ μολόντων πὰρ ματέρ' ἀμφὶ γέλως γλυκὺς ὦρσεν χάριν, neque reversis ad matrem dulcis risus circum [rings] gau-*

dium excitavit. Tertius locus extat Ol. I, 50: *τραπέζαισι τ' ἀμφὶ δεύματα κρεῶν σέθεν διαδάσαντο*, ubi Boeckhius quidem *ἀμφὶ τραπέζαισι* jungit, ceteri vero rectius Hermanno duce adverbium statuunt: *et in mensis circum [rings] carnes dividebant.* —

Priusquam ad praepositionis ipsius usum transeamus, de voce *ἀμφίς* dicendum est, quae semel apud Pindarum vi praepositionis praedita est, Pyth. IV, 253: *ἔνθα καὶ γυίων ἀέθλοις ἐπεδείξαντ' [ἀγῶν'] ἐσθᾶτος ἀμφίς, certamen de veste*; cf. Boeckh. et Dissen. ad h. l., qui alteram explicationem: *absque veste* vel *sine veste* jure reiciunt. Attamen quum librorum lectio valde corrupta sit*), etiam de voce *ἀμφίς* nihil certi statui potest. Videtur autem non alia de causa posita esse, quam ut sonum magis suavem et canorum in fine versus ederet.

Praepositio *ἀμφί* tribus casibus jungitur, genetivo, dativo et accusativo, ex quibus genetivus sexies tantum apud Pindarum legitur. Incipiamus a dativo, quocum plerisque locis conjuncta est. Primaria vis, quam praepositio apud Pindarum tenet, est circumdandi aliquid, Pyth. IV, 96: *τάφε δ' αὐτίκα παπτάναις ἀρίγνωτον πέδιλον δεξιτερῷ μόνον ἀμφὶ ποδί*, ib. 180. Nem. IV, 85; tum verbis transitivis additam videmus Ol. III, 13: *ἀμφὶ κόμαισι βάλῃ κόσμον ἐλαίας*, Ol. XIII, 39. Nem. VIII, 30 et audacius Pyth. IX, 120: *ὃς ἂν πρῶτος θορὼν ἀμφί οἱ ψαύσειε πέπλοις, qui primus in cursu manus jaceret circum eam eiusque vestes*; nam *πέπλοις* appositio specialis est ad *οἱ* addita; quam structuram profero contra ceteros interpretes, ex quibus Boeckhius, collocatione verborum neglecta, *ψαύσειέ οἱ ἀμφὶ πέπλοις* jungit, Dissenius dativum *πέπλοις* ex *ψαύσειε* pendere dicit et *ἀμφί οἱ* explicat per verba: *circum manibus eam complectens.*

---

*) Legendum fortasse: *ἔνθα καὶ γυίων ἀρετὰν ἐπέδειξαν μάχαις ἐσθᾶτος ἀμφίς* vel *ἐπεδείξαντ' ἀέθλοις χλαῖναν ἀμφίς.* Cf. Schol. ad v. 450: *ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἐπεδείξαντο τῶν μελῶν ἀνδρείαν καὶ τὴν κρίσιν, ἀγωνιζόμενοι περὶ ἐσθῆτος.*

Ut his locis de corpore, sic alibi de animo praepositio *ἀμφί* usurpatur in translatis dictionibus, atque vix ex aliis locis concreta vis sermonis Pindarici magis cognosci potest quam ex his. Videas quaeso Ol. VII, 24: *ἀμφὶ δ' ἀνθρώπων φρασὶν ἀμπλακίαι κρέμανται*, quod etiam magis concretum est quam Isthm. II, 43: *φθονεραὶ θνατῶν φρένας ἀμφικρέμανται ἐλπίδες*, tum Ol. VIII, 86: *εὔχομαι ἀμφὶ καλῶν μοίρᾳ Νέμεσιν διχόβουλον μὴ θέμεν*, cuius loci vis ab interpretibus non intellecta videtur; nam Boeckhius interpretatur: *precor Jovem, ne Nemesin dissentientem reddat circa pulchrarum rerum sortem*, jungit igitur *διχόβουλον ἀμφὶ* . . ., Dissenius vero sententiam loci hanc esse dicit: *precor Jovem, ut Nemesin ob pulchrarum rerum fortunam ne infestam reddat.* Verum jam Schol. vet. ad v. 113 dixit his verbis: *εὔχομαι δὲ τῷ αὐτῷ Διὶ ἐπὶ τῇ τῶν καλῶν μοίρᾳ Νέμεσιν καὶ βασκανίαν μὴ ἐπιθεῖναι*, quamquam vim loci delet eo, quod in locum praepositionis *ἀμφί* substituit *ἐπί.* Precatur igitur poëta, ne Iuppiter circum bona, quae Blepsiadarum familia adepta sit, Nemesin inimicam ponat; *διχόβουλος* eodem modo absolute dictum est ut Pyth. III, 34: *δαίμων ἕτερος.* — Huic ordini addendum videtur tertium exemplum, quod extat Nem. I, 29: *Ἁγησιδάμου παῖ, σέο δ' ἀμφὶ τρόπῳ τῶν τε καὶ τῶν χρήσιες, circumdant tuam indolem variarum rerum usus.*

Debilitata est notio circumdandi, ubi *ἀμφί* vicinitatem loci indicat. Cuius usus insignis locus extat Pyth. V, 41: *τό σφ' ἔχει κυπαρίσσινον μέλαθρον ἀμφ' ἀνδριάντι σχεδόν, pendet currus in cupressina aedicula prope signum Apollinis.* Tum vero verbis, quae actionem indicant, *ἀμφί* cum dativo additur eadem significatione; ubi hoc fit, actio multis in partibus loci fieri cogitatur. Cf. Ol. XIII, 63: *ἦ πόλλ' ἀμφὶ κρουνοῖς Πάγασον ζεῦξαι ποθέων ἔπαθεν*, Nem. IX, 40: *λέγεται μὰν Ἕκτορι μὲν κλέος ἀνθῆσαι Σκαμάνδρου χεύμασιν ἀγχοῦ, βαθυκρήμνοισι δ' ἀμφ' ἀκταῖς Ἑλώρου*, Ol. XIII, 85: *φάρμακον πραῢ τείνων ἀμφὶ γένυι*, qui locus a ceteris verbo transitivo distinguitur. Audacissimum deni-

que huius generis exemplum extat Ol. VIII, 42: *Πέργαμος ἀμφὶ τεαῖς, ἥρως, χερὸς ἐργασίαις ἁλίσκεται*, ubi Apollo praenuntiat, Pergamum eo fere loci captum iri ubi Aeacus moenia aedificaverit; cuius loci difficultas in eo inest, quod substantivum *ἐργασίαι* breviter dictum est pro loco *ἐργασιῶν*, h. e. ea moenium parte quam Aeacus extruxit.

Transeamus ad translatum praepositionis usum atque primo loco commemoremus eos locos, quibus propria vis cum translata mixta videtur. Nam Pyth. VI, 42: *ὕπατος ἀμφὶ τοκεῦσιν ἔμμεν πρὸς ἀρετάν*, *summum esse in virtute erga parentes*, *ἀρετὰ ἀμφὶ τοκεῦσιν* proprie est virtus et pietas eorum qui circum parentes versantur. Huc faciunt etiam Isthm. IV, 55: *μαρνάσθω τις ἔρδων ἀμφ' ἀέθλοισιν*, Isthm. I, 50: *ὃς δ' ἀμφ' ἀέθλοις ἢ πολεμίζων ἄρηται κῦδος ἀβρόν*, Ol. IX, 90: *μένεν ἀγῶνα πρεσβυτέρων ἀμφ' ἀργυρίδεσσιν*, in quibus praemia certaminis medio in stadio posita cogitantur. Jam sola translata significatio comparet, ubi pro ipsis praemiis aliud quid nominatur de quo pugnatur. Cf. Ol. V, 15: *αἰεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται*, Pyth. XI, 33: *ἀμφ' Ἑλένᾳ πυρωθέντων Τρώων*, quod ut opinor breviter dictum est pro: *Troianis exustis in pugna de Helena commissa*, quamquam interpretes *ἀμφ' Ἑλένᾳ* vertunt: *propter Helenam.* — His locis similem metaphoram praepositionis invenimus, ubi *ἀμφί* curam vel studium alicuius rei indicat; cf. Pyth. XI, 54: *ξυναῖσι δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι τέταμαι*, Pyth. V, 119: *ἀμφὶ βουλαῖς ἔχειν.* Saepius vero hic usus occurrit, si non in universum cura alicuius rei significatur, sed si verbum adsit, quod certam quandam curam indicat. V. Ol. IX, 13: *ἀνδρὸς ἀμφὶ παλαίσμασιν φόρμιγγ' ἐλελίζων*, Pyth. II, 62: *ἀμφ' ἀρετᾷ κελαδέων*, tum Ol. XIII, 52: *οὐ ψεύσομ' ἀμφὶ Κορίνθῳ* *)

---

*) Hoc loco perspicuum est, Pindarum in Sisypho et Medea *μῆτιν παλαιγόνων*, in Glauco et Bellerophonte bellicas Corinthiorum virtutes celebrare; respondent igitur inter se *Σίσυφον μὲν* — (v. 52) et *τὰ δὲ* — (v. 55). At quo modo vbb. *Σίσυφον μὲν* — construenda sint, quaeren-

(i. q. οὐ ψευδόμενος κελαδήσομαι ἀμφὶ Κορίνθῳ), Nem. VI, 16: ἀμφὶ πάλᾳ κυναγέτας, *venator qui luctae studio incumbit*, Isthm. VI, 8. Ol. VII, 80. Quibus addo Nem. II, 17: ὅσσα δ' ἀμφ' ἀέθλοις Τιμοδημίδαι ἐξοχώτατοι προλέγονται, *quod attinet ad studium certaminum*, *Timodemidae excellunt*, Nem. VIII, 42: ἀμφὶ πόνοις ὑπερώτατα, *in laboribus maxime* ... — Restat ut eum praepositionis usum commemoremus, ex quo causam alicuius rei indicet vel id quod rei ansam praebuerit; huius generis loci sunt Nem. X, 60: ἀμφὶ βουσὶν χολωθείς, Pyth. I, 80: ὕμνον τὸν ἐδέξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ, Nem. VII, 80: Διὸς δὲ μεμναμένος ἀμφὶ Νεμέᾳ. Conferri juvat cum hoc usu nostra praepositio *um*, maxime in eo quod dicimus: *um* — *willen*. Ipsa res, qua aliquid efficitur, significata est Pyth. I, 12: κῆλα δὲ καὶ δαιμόνων θέλγει φρένας, ἀμφί τε Λατοίδα σοφίᾳ βαθυκόλπων τε Μοισᾶν, et Pyth. VIII, 34: ἐμᾷ ποτανὸν ἀμφὶ μαχανᾷ, *mea arte volucrem*. — Denique ἀμφί cum tertio casu tempus indicat Ol. XIII, 37: ἁλίῳ ἀμφ' ἑνί, quod est: *intra spatium unius diei*; cui usui mox similia inveniemus.

Iam brevius de ceteris casibus, quibus ἀμφί jungi solet, agi potest. Genetivus sexies tantum legitur et huic juncta, eodem modo quo dativo, praepositio nonnunquam curam et studium alicuius rei significat, Pyth. IV, 276: ἀμφὶ Κυράνας θέμεν σπουδάν, Nem. X, 4: τὰ Περσέος ἀμφὶ Μεδοίσας, Ol. XII, 8. Hinc ortum, quod apud ceteros saepius legitur, φάμεν ἀμφὶ δαιμόνων καλά (Ol. I, 35). Tum id, de quo pugna est, significatur Isthm. VII, 27: ἀμφὶ Θέτιος ἔρισαν, denique causam vides Pyth. IX, 105: Λιβύσσας ἀμφὶ γυναικὸς ἔβαν Ἴρασα πρὸς πόλιν, Isthm. VII, 67: ἀμφὶ παγκρατίου πλεκέτω στέφανον.

Saepius rursus ἀμφί accusativo juncta est. Primariam circumdandi notionem et inde notionem vicinitatis vides

---

dum est; nam ex verbis, quae praecedunt, participium γαρύων attrahi posse, non credo. Videtur potius in verbis ὡς θεόν participium latere, quale αἰνέων vel ὑμνέων, quod alterum scholia exhibent.

non apud transitiva solum sed etiam apud intransitiva verba. Cf. Ol. IX, 31: *ἀμφὶ Πύλον σταθεὶς Ποσειδᾶν*, ubi tutelae notio simul inest, quam Neptunus urbi praebet eo quod defendendi causa in omnibus urbis partibus (vel in utraque parte) versetur, coll. Hom. Il. I, 37. Actio, quae circa vel prope locum fit, significatur his locis: Ol. I, 17. Isthm. II, 40. Fragm. 186 [168]. Ol. I, 48. Pyth. X, 56. — Tum sicuti paullo ante habuimus *ἀλίῳ ἀμφ' ἑνί*, *intra spatium unius diei*, eodem modo *ἀμφί* cum accusativo, notione circumdandi plane abjecta, locum indicat in cuius circuitu aliquid fit. Huius generis exempla sunt duo in Pindari carminibus, Pyth. V, 24: *γλυκὺν ἀμφὶ κᾶπον Ἀφροδίτας ἀειδόμενον*, Ol. IX, 96: *θαυμαστὸς ἐὼν φάνη Ζηνὸς ἀμφὶ πανάγυριν.* Ex hoc usu opinor ortum esse, quod legitur Ol. XI, 77: *ἀείδετο δὲ πᾶν τέμενος τερπναῖσιν θαλίαις τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον*, nam carmen intra modum encomii versari cogitatur; vulgo dicunt, *ἀμφί* hoc loco idem valere atque *κατά*, *secundum.* — Deinde cura et studium rei significatur apud verba canendi Pyth. II, 15: *κελαδέοντι ἀμφὶ Κινύραν*, VIII, 69: *ἀμφ' ἕκαστον*, et apud verba affectuum Nem. I, 54: *ἀπήμων κραδία κᾶδος ἀμφ' ἀλλότριον*, Isthm. VI, 9: *ἢ ὅτ' ἀμφὶ πυκναῖς Τειρεσίαο βουλαῖς, ἢ ὅτ' ἀμφ' Ἰόλαον ἱππόμητιν (θυμὸν τεὸν εὔφρανας)*, ubi *ἀμφί* cum dativo eadem significatione praecedit. — Denique tempus indicatur Ol. I, 97: *λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον* et II, 30: *τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον*, eodem modo quem supra vidimus. —

Restant composita cum *ἀμφί*, quae tamen non tam saepe leguntur apud Pindarum, quam quis ex frequentia praepositionis nominibus additae suspicari possit. Ex omnibus duo verba notatu digna videntur, verbum *ἀμφέπειν* ob frequentiam et varietatem usus, et *ἀμφιπίπτειν* ob proprietatem usus, Ol. XI, 98: *κλυτὸν ἔθνος Λοκρῶν ἀμφέπεσον*, *animo amplexus sum*, h. e. *summa voluptate genti Locrorum canendae incubui.*

ΠΕΡΙ.

Praepositioni *ἀμφί* statim jungimus idem significantem *περί**). Perrara est haec praepositio in Pindari carminibus; genetivo juncta decies, dativo septies, accusativo ter tantum invenitur. Primaria vis circumdandi videtur Ol. III, 33. et VI, 75, quibus locis praepositio accusativo addita est. Adde locutionem ex Homero et Sophocle notam quae extat Isthm. III, 54, ubi de Aiace dicitur: *ἀλκὰν φοίνιον, τὰν ὀψίᾳ ἐν νυκτὶ ταμὼν περὶ ᾧ φασγάνῳ* ... — Tum apud verba pugnandi res, de qua contenditur, praepositione *περί* indicatur; quo modo hic usus ortus sit, supra vidimus ubi de *ἀμφί* disseruimus; genetivo addita praepositio hunc usum iniit Ol. III, 37. Nem. IX, 29. X 85. Fragm. 24 [29], dativo addita Ol. XIII, 45. Nem. V, 47. X, 31. Fragm. 88 [100]. — Deinde eodem modo, quo *ἀμφί*, curam et studium alicuius rei significat; huc referendae sunt omnes eae dictiones, in quibus *περί* hominem vel rem indicat, circa quam actio dicendi vel indicandi vel judicandi versatur; sic praepositionem genetivo additam legimus Ol. VIII, 4: *λόγον ἀνθρώπων πέρι,* Pyth. IV, 265: *διδοῖ ψᾶφον περ' αὐτᾶς,* Nem. V, 40: *πότμος δὲ κρίνει συγγενὴς ἔργων περὶ πάντων,* Isthm. IV, 47: *περὶ κείνων κελαρύσαι,* Ol. VI, 38: *μαντευσάμενος ταύτας περ' ἀτλάτου πάθας*, Ol. VI. 50: *περὶ θνατῶν δ' ἔσεσθαι μάντιν ἐπιχθονίοις ἔξοχον.* Hoc enim loco conjungenda mihi videntur *μάντιν περὶ θνατῶν, vatem de hominibus,* h. e. *de rebus hominum.* Nam ex Boeckhii et Dissenii explicatione qui *περιέσεσθαι θνατῶν* jungunt, idem bis dictum displicet: *περιέσεσθαι θνατῶν* et *ἐπιχθονίοις ἔξοχον.* Neque magis Bergkii scriptura *πέρι* (= *περισσῶς*) ex Pal. C. et Scholiasta vetere hausta placet propter orationem nimis concisam et laceratam. — Restant tres Pindari loci qui prae-

*) De Aeolica forma *περ'*, elisa ante vocales litera *ι*, cf. Ahrens. de dial. Dor. §. 43, 3; Boeckh. nott. critt. ad Ol. VI, 38. et Fragm. p. 631.

positionem *περί* exhibent. Atque primo, Pyth. V, 58: *κεῖνόν γε καὶ βαρύκομποι λέοντες περὶ δείματι φύγον*, praepositio significat eum, qui intra aliquem statum versatur vel proprie qui circumclusus est aliquo statu*). Non accurate igitur ei agunt, qui *περὶ δείματι* interpretantur per verba: *prae timore*. Vossius**) *περί* cum verbo *φύγον* in unum jungit, quod ob collocationem verborum fieri non potest. Apte autem conferas cum hoc loco Nem. IX, 27: *ἐνφόβοις φεύγοντι* (cf. p. 21) atque praepositio *περί* in *περὶ δείματι* eandem vim ascivisse videtur quam illo loco *ἐν* habet. Iam supra vidimus, in *ἀμφί κᾶπον* et *ἀμφὶ πανάγυριν* (pag. 46) *ἀμφί* locum indicare in cuius circuitu aliquid fiat, ideoque fere eandem habere vim quam *ἐν*, *intra*. Videtur igitur inter *περὶ δείματι****) et *ἀμφὶ κᾶπον* éadem ratio interesse, quae est inter *ἐν φόβοις* et *ἐν κάπῳ*. — Similis explicandi ratio adhibenda est Pyth. IV, 122: *ἂν περὶ ψυχὰν ἐπεὶ γάθησεν ἐξαίρετον γόνον ἰδὼν κάλλιστον ἀνδρῶν*, ubi *ἂν περὶ ψυχάν* dictum est ut saepe apud Homerum *περὶ θυμῷ, περὶ κῆρι, περὶ φρεσίν*. In eo tantum Pindarus a vulgari usu recedit, quod accusativum habet qui in his dictionibus alibi non legitur; sed id non mirum, quum saepe praepositionem variis casibus additam invenerimus, idem tamen significantem. Hermannus quidem, quem Schneidewinus secutus est, retracto accentu *πέρι* scribendum jussit, ut *πέρι* adverbium sit (= *περισσῶς*) et *ἂν ψυχὰν γάθησεν* jungatur secundum Homeri *γεγήθει δὲ φρένα*. At verborum collocatio poscit ut *ἂν περὶ ψυχάν* jungatur, sicuti vulgo fit†). — Denique, sicuti

*) Cf. Naegelsbach. ad Hom. Il. I, 317.

**) Ad Hymn. in Cer. 430.

***) Cf. *ἀμφὶ τάρβει* Aesch. Choëph. 547 (ed. Teubn. 1857).

†) Sholiasta ad v. 113, qui haec exhibet: *ἐπειδὴ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἐξαιρέτως καὶ ὑπερβεβλημένως ἥσθη*, pro voce *ἐξαίρετον* ad *γόνον* referenda adverbium *ἐξαιρέτως* legisse videtur. In locum praepositionis *περί* substituit *κατά*, quod non mirum est, quia saepe in scholiis praepositiones mutantur; cf. p. 43 *ἀμφί — ἐπί* et infra *παρά — ἐν*.

nonnunquam *ἀμφί*, etiam *περί* id indicat, quo quid efficitur, Pyth. II, 59: *κτεάτεσσί τε καὶ περὶ τιμᾷ γενέσθαι ὑπέρτερον*, *superiorem extitisse ob divitias et ob honorem ei tributum.*

Verba cum *περί* composita circiter decem apud Pindarum leguntur, ex quibus *περιφεύγειν*, *effugere* (Ol. II, 98), notatu dignum videtur, quod idem verbum Vossius etiam Pyth. V, 58 extare putavit (v. s.). Ex ceteris compositis profero adverbium *περίαλλα* (Pyth. XI, 5), in quo *περί* notionem antecellendi habet, quam in ipsa praepositione nominibus addita non invenimus, et adjectivum *περίγλωσσος*, *facundus* (Pyth. I, 41), quocum conferri juvat adjectiva qualia sunt *περίφοβος*, *περίθυμος*, ceteris usitata.

ΜΕΤΑ.

Aeolica praepositionis forma *πεδά**) apud Pindarum invenitur ter: Pyth. V, 47**). VII, 74. Fragm. 94 [101], et in verbis compositis *πεδαμείβειν* Ol. XII, 12, *πεδέρχεσθαι* Nem. VII, 74, *πεδαυγάζειν* Nem. X, 61. —

Adverbialiter positum *μετά* semel legitur Pyth. IV, 64: *ἦ μάλα δὴ μετὰ καὶ νῦν παισὶ τούτοις ὄγδοον θάλλει μέρος Ἀρκεσίλας*, ubi *μετά* adverbium temporis est: *posthac;* cogitandum vero *μετὰ ταῦτα* vel *μετὰ Βάττον.*

Praepositio septem Pindari locis genetivo, duobus dativo, quindecim accusativo juncta est. Atque primum genetivo juncta societatem hominum indicat, in qua quis versatur, his locis Pyth. V, 94: *ἀνδρῶν μέτα ἔναιεν*, VIII, 74. IX, 19. Fragm. 74 [84], quibus adde Ol. I, 60: *ἔχει δ' ἀπάλαμον βίον τοῦτον ἐμπεδόμοχθον, μετὰ τριῶν* (sc. *ἀνδρῶν*) *τέταρτον πόνον.* Huius enim loci sententiam contra ceterorum explicationes optime demonstravit Rauchensteinius***). Res per se clara est; nam quum *ἀπάλαμος*

---

*) Ahrens. de dial. Aeol. §. 28, 3. — L. Hirzel, zur Beurtheilung des aeol. Dial., Leipzig 1862, p. 47.

**) Cf. Boeckh. nott. critt. p. 476.

***) Comm. Pind. II, p. 10 sq.

βίος ἐμπεδόμοχθος universam vitam Tantali infernam significet, etiam vox *πόνος*, appositionis instar addita, omnes huius vitae aerumnas indicet necesse est; ideoque ad *μετὰ τριῶν* non licet cogitare *πόνων*. — Tum praepositio *μετά* cum genetivo ad communionem indicandam inservit Ol. XI, 49: *τιμάσαις πόρον Ἀλφεοῦ μετὰ δώδεκ᾽ ἀνάκτων θεῶν* = *τιμάσαις π. Ἀ. καὶ δώδεκ᾽ ἄνακτας θεούς*, cuius loci proprietas in eo cernitur, quod *μετὰ δώδεκ᾽ ἀνάκτων θεῶν* partem objecti efficit*). Restat usus, ex quo *μετά* cum genetivo nomini additum rationem attributi inire videtur; nam Ol. II, 34: *ῥοαὶ δ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλαι εὐθυμιᾶν τε μέτα καὶ πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν* praepositio non per tmesin a verbo *ἔβαν* separata est, quod Boeckhius statuit, sed conjungenda sunt *ῥοαὶ μετὰ εὐθυμιᾶν καὶ μετὰ πόνων*, *cursus rerum et* laeti *et* tristes.

Dativo *μετά* bis apud Pindarum juncta est vulgari poëtarum usu servato, Ol. II, 29: *μετὰ κόραισι Νηρῆος*, *inter filias Nerei*, et Nem. VII, 8: *μετὰ πενταέθλοις*, *inter quinquertiones.*

Neque plus difficultatis ei loci praebent, quibus praepositio accusativo addita est. Huic casui juncta primum notionem veniendi in societatem quandam hominum servat Ol. I, 16: *προῆκαν μετὰ τὸ ἀνέρων ἔθνος*, et Isthm. VI, 46; quae notio debilitata est in solam notionem veniendi ad hominem vel locum: Nem. III, 38 et Fragm. 250 [212] ubi tamen lectio incerta videtur. Tum apud verba movendi consilium indicat aliquid adipiscendi, Ol. IV, 23: *μετὰ στέφανον ἰών*, Pyth. IV, 68. IX, 106. Fragm. 158. [149], quibus locis addo Fragm. 53 [52]: [*Ὠρίων*] *τρέχων μετὰ Πληϊόναν*, *currens ut Pleionen assequatur,* h. e. *persequens Pleionen.* Denique tempus indicatur, post quod aliquid fit, Pyth. V, 11. 47. Isthm. III, 36, VII, 8. Fragm. 94 [101] et Nem. VI, 6: *ἐφαμερίαν οὐκ εἰδότες οὐδὲ μετὰ νύ-*

*) Conferatur idem usus praepositionis *σύν* in exemplis p. 26 sq. laudatis et ipsius praepositionis *μετά* Plat. Rep. IX, p. 591 B.: *ἰσχὺν τε καὶ κάλλος μετὰ ὑγιείας λαμβάνων.*

κτας . . ., ubi *μετα νύκτας* est: *post initium noctis*, h. e. *noctu*, sicuti apud Atticos scriptores saepe extat *μεθ' ἡμέραν*, *interdiu*.

Ex verbis cum *μετά* compositis haec promo. Verbum *μεταμείβειν* ter apud Pindarum legitur; Nem. X, 55: *μεταμειβόμενοι δ' ἐναλλὰξ ἁμέραν τὰν μὲν* . . . intransitive dictum est: *alternantes per vicem;* tum duobus locis activo sensu significat: *commutare aliquem statum alio statu;* nam Pyth. III, 96: *Διὸς δὲ χάριν ἐκ προτέρων μεταμειψάμενοι καμάτων,* ut Boeckhius recte statuit, *Διὸς χάριν* pendet ex verbo *μεταμειψάμενοι*; de vi praepositionis *ἐκ* p. 14 diximus. Injuria vero Dissenius *Διὸς χάριν* per se dictum esse putat: *per Jovem.* Sicuti huius loci structuram *χάριν μεταμειψάμενοι ἐκ καμάτων* approbat alter locus Ol. XII, 12: *ἐσλὸν βαθὺ πήματος ἐν μικρῷ πεδάμειψαν χρόνῳ,* ubi idem accusativus objecti adest, sic transversa re illi loco modo nominato succurrit prior: restituendum enim videtur *πήματος ἐκ*, quam emendationem jam supra p. 14 proposuimus. — Idem verbum *μεταμείβειν* Boeckhius Pyth. I, 52 restituere conatus est, ubi in libris corrupta leguntur haec: *φαντὶ δὲ Λαμνόθεν ἕλκει τειρόμενον μεταλλάσσοντας ἐλθεῖν ἥρωας ἀντιθέους Ποίαντος υἱὸν τοξόταν*, nam pro voce *μεταλλάσσοντας* metro non conveniente vocabulum exposcitur huius mensurae: ⏑ ⏑ – –́ ⏑. Boeckhii conjecturam receperunt Thierschius, Dissenius, Bergkius. Verbum *μεταμείβειν* notione quidem arcessendi alibi non legitur; at facile fieri potuit ut notio commutandi in illam notionem abiret; si quis autem futurum *μεταμείψοντας* expectaverit, is conferat Matth. Gr. II, §. 504. At alii alias emendationes proposuerunt. Schneidewinus ex Wakefieldii conjectura scripsit *μετανάσσοντας*. Quod verbum ipsum alibi non extat, at apud Hesiodum *μετανάιέτης*, *qui alio loco habitat quam antea*, apud eundem *καταναίειν* transitivo sensu, et apud Pindarum eodem sensu *ναίειν* Pyth. V, 67. Nostro igitur loco *Λαμνόθεν Ποίαντος υἱὸν μετανάσσοντας ἐλθεῖν* esset:

venisse eos ut Philoctetam ex Lemno alium in locum (h. e. Troiam) *deportarent*. Notio autem mutati domicilii non semel inest in verbis cum *μετά* compositis *). Quum igitur nihil huic verbo eiusque usui obstet, praeferendum mihi videtur Boeckhii emendationi, quae literarum tractus verbi *μεταλλάσσοντας* in libris servati nimis neglegit. Hermanni vero *μεταμάσσοντας*, quod literarum tractus etiam magis sequitur quam Wakefieldii *μετανάσσοντας*, aeque falsum est ac Scholiastae interpretatio: *ἐπιζητήσοντας*, nam de quaerendo Philocteta sermo esse non potest, sed de arcessendo; quod vides etiam ex voce *Λαμνόθεν*. Quae vox Ahrensii**) quoque conjecturam: *μετ' ἀλύσσοντας ἐλθεῖν* nihili esse demonstrat.

ΕΠΙ.

Praepositio *ἐπί* dativo juncta persaepe apud Pindarum invenitur; accusativus circiter vicies extat, qui numerus dimidius fere est eorum locorum, quibus dativo juncta est; genetivum octies tantum ascivit. — Atque primum cum accusativo conjuncta vel locum vel hominem vel statum indicat, ad quem actio aliqua derigitur. Nonnunquam autem fit ut in eo, ad quod actio derecta est, simul id inesse videatur, quod actione ipsa spectatur; cf. Ol. I, 45: *ἦλθε καὶ Γανυμήδης Ζηνὶ τωὔτ' ἐπὶ χρέος*, Pyth. IV, 178: *πέμπε δ' Ἑρμᾶς χρυσόραπις διδύμους υἱοὺς ἐπ' ἄτρυτον πόνον*, Nem. VII, 5: *ἀναπνέομεν δ' οὐχ ἅπαντες ἐπὶ ἴσα, respiramus non omnes ad eadem*, h. e. *ad eadem perficienda*; injuria hoc loco nonnulli *ἐπὶ ἴσα* pro adverbio *ἴσως*, *pari modo*, dictum esse putant. — Deinde notio diffundendi per locum videtur his locis Nem. VI, 54: *πέταται δ' ἐπί τε χθόνα καὶ διὰ θαλάσσας τηλόθεν ὄνυμ' αὐτῶν*, Isthm. III, 59: *καὶ πάγκαρπον ἐπὶ χθόνα καὶ διὰ πόντον βέβακεν ἐργμάτων ἀκτίς*. Huc pertinent etiam Fragm. 242

*) Cf. *μεταβαίνειν* Ol. I, 42, *μετοικεῖν* Pyth. IX, 83.
**) Philol. XVI, p. 55.

[206]: *ἐπ' οἶδμ' ἅλιον διαστείβων*, *per mare navigans*, et Isthm. III, 27: *ὅσσα δ' ἐπ' ἀνθρώπους ἄηται μαρτύρια δόξας* *).

Tum *ἐπί* cum genetivo junctum significationem loci tenet apud verba quiescendi Ol. I, 77. Pyth. VIII, 46. Nem. V, 1. 2, et apud verba movendi Pyth. IV, 273: *ἐπὶ χώρας πόλιν ἕσσαι δυςπαλές*, Fragm. 151 [146]: *Γηρυόνα βόας Κυκλωπίων ἐπὶ προθύρων Εὐρυσθέος ἤλασεν*. Tempus significatur Pyth. VIII, 89: *καλόν τι λαχὼν ἁβρότατος ἔπι*, *teneris annis*, et Ol. VII, 72: *σοφώτατα νοήματ' ἐπὶ προτέρων ἀνδρῶν παραδεξαμένους παῖδας*, ubi *ἐπὶ προτέρων ἀνδρῶν* ex tempore poëtae dictum est.

Deinde ex permultis eis locis, quibus *ἐπί* dativo junctum propriam vim tenet, eos ascribam, quibus verbo movendi additum est. Eundem usum paullo ante spectavimus, ubi genetivi exempla commemoravimus, atque supra in disquisitione de praepositione *ἐν* habita, ex qua quae p. 22 sq. diximus huc quoque spectant. Loci sunt hi Ol. II, 90: *ἐπί τοι Ἀκράγαντι τανύσαις*, VIII, 48: *ἐπ' Ἰσθμῷ ἅρμα τανύεν*, Pyth. I, 7: *ἐπί οἱ νεφέλαν ἀγκύλῳ κρατὶ κατέχευας*, ubi *ἀγκύλῳ κρατί* epexegesis est ad *οἱ* addita, Pyth. IX, 12: *καί σφιν ἐπὶ γλυκεραῖς εὐναῖς βάλεν αἰδῶ*, ib. 24: *ἐπὶ γλεφάροις ὕπνον ἀναλίσκοισα ῥέποντα πρὸς ἀῶ*, ubi cum Dissenio facio, qui *ἐπὶ γλεφάροις ῥέποντα* jungit**), Nem. X, 71: *ἐπ' Ἴδᾳ πλᾶξε κεραυνόν*, cui loco statim adjungendus est alius, Pyth. IV, 23: *αἴσιον δ' ἐπί οἱ Ζεὺς ἔκλαγξε βροντάν*, ubi *ἔκλαγξε* in locum verbi alicuius movendi vel jaciendi substitutum est, neque vero *ἐπί οἱ* notione hostilis impetus dictum est, sed indicat, ad quem hominem tonitrus ab Jove missus pertineat; denique v. Fragm. 73 [83]: *Λάκαιναν ἐπὶ θηρσὶ κύνα τρέχειν πυκινώτατον ἑρπετόν*, quod verbotenus interpretor sic:

---

*) Cf. Hom. Il. X, 213. Od. I, 299.

**) Cf. Hom. Od. II, 398. XIII, 79. XIX, 590.

Lacaenam canem aptissimum ad irruendum in feras animal; nam injuria Boeckhius et Dissenius nimis arcte verba τρέχειν πυκινώτατον jungunt interpretantes: *pernicissimi,* et ideo ἐπὶ θηρσί breviter dictum esse putant pro: *in feris persequendis*; at conjungenda sunt arctissime verba ἐπὶ θηρσὶ τρέχειν (in feras irruere) atque haec juncta a voce πυκινώτατον pendent. — Accedimus ad translatum usum praepositionis ἐπί dativo junctae. Simplicissimae huius usus rationes videntur Pyth. V, 119: ἐπ' ἔργοισιν ἀμφί τε βουλαῖς ἔχειν, *factorum consiliorumque tenacem esse,* Ol. I, 113: ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι, *alii aliis in rebus magni sunt,* h. e. *excellunt*; quamquam hunc alterum locum ceteri aliter interpretantur; at notio causalis, quam nonnulli statuunt*), adjectivo μεγάλοι non adaptata est et Hermanni sententia a Schneidewino adoptata, ex qua ἐπ' ἄλλοισιν a poëta scriptum sit, quia in μεγάλοι notio gloriandi latcat, ob eam causam displicet, quia haec notio a loci conexu aliena videtur; Dissenius vero, qui vertit: *super aliis alii magni,* h. e. *alius alio maior,* in eo errat quod ἐπί notionem antecellendi induere credat; qui usus sane omni analogia caret. Nihil aliud inest nisi cura et studium rerum; nam dicit poëta, alium aliis in rebus efficiendis excellere**). Porro videndi sunt hi duo loci, Isthm. I, 26: ἐφ' ἑκάστῳ ἔργματι κεῖτο τέλος, ib. 47: μισθὸς γὰρ ἄλλοις ἄλλος ἐφ' ἔργμασιν ἀνθρώποις γλυκύς, in quibus ἐπί eas res indicat quibus praemia proposita sunt. Tum facilis est translatio in Pyth. VIII, 76: τὰ δ' οὐκ ἐπ' ἀνδράσι κεῖται, *haec non in hominum potestate* vel *penes homines sunt*, qui locus ob eam causam notatu dignissimus est, quia hic praepositionis usus ex Atticis et poëtis et scriptoribus notissimus apud Homerum et omnino apud eos qui Pindarum praecesserunt non legitur***). Deinde extant loci, qui ἐπί cum dativo

*) Cf. Tafel. dill. Pind. I, p. 69.

**) Conferatur similis usus praepositionis ἀμφί p. 44 sq. descriptus, imprimis locus Nem. II, 17.

***) Cfr. V. C. F. Rostius in Passowi lex. s. v. ἐπί, II, 2, a, p. 1038.

notione addendi et cumulandi praeditum exhibent; atque primum quod additur dispar est ei cui additur, Ol. II, 11: *πλοῦτόν τε καὶ χάριν ἄγων γνησίαις ἐπ' ἀρεταῖς*, ubi male Dissenius: *propter insitas virtutes divitiis et gratia praeditus*, recte Boeckhius: *divitias et gloriam afferens insitis virtutibus*, Ol. X, 13: *κόσμον ἐπὶ στεφάνῳ χρυσέας ἐλαίας ἀδυμελῆ κελαδήσω*, h. e. *dulce sonans ornamentum* [hymnum] *coronae oleaginae canendo addam;* nam hoc latet in verbo *κελαδήσω*, ita ut neque *ἐπὶ στεφάνῳ* vertendum sit: *propter coronam*, neque cum Boeckhio *ἐπικελαδήσω* jungendum sit: *accinam hymnum coronae;* saepe autem fit ut in uno eodemque verbo duae notiones contineantur, praepositionis vero usus ex ea notione pendeat quae in altera latet, cf. e. g. Ol. XIII, 52: *οὐ ψεύσομ' ἀμφὶ Κορίνθῳ* = *οὐ ψευδόμενος κελαδήσομαι ἀ. Κ.*, v. p. 44 sq. Ubi pari rei par additur, cumulatio rerum etiam cumulandis eisdem vocabulis exprimi solet, sicuti Ol. VIII, 84: *ἐσλὰ δ' ἐπ' ἐσλοῖς ἔργ' ἐθέλοι δόμεν*, Ol. VII, 82: *Νεμέᾳ τ' ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ* (sc. *νίκην εὐτυχέων*), *alteram ad alteram consecutus victoriam.* Denique vis cumulandi inest in numero ordinali, qui legitur Nem. VI, 66: *πέμπτον γ' ἐπὶ εἴκοσι τοῦτο γαρύων εὖχος ἀγώνων ἄπο*, qua simul re vulgaris huius numeri forma Pindarico sermoni non apta vitatur. — Pervenimus nunc ad difficiliorem usum praepositionis *ἐπί* cum eodem casu conjunctae. Fit enim nonnunquam, ut quod ansam et occasionem alicui rei praebuerit tanquam status habeatur, in quo res facta est; cf. Ol. XIV, 16: *ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ κοῦφα βιβῶντα κόσμον*, Pyth. I, 36: *ὁ δὲ λόγος ταύταις ἐπὶ συντυχίαις δόξαν φέρει . . .*, ib. 84: *ἀστῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις*, Pyth. X, 38: *Μοῖσα δ' οὐκ ἀποδαμεῖ τρόποις ἐπὶ σφετέροισι*, in quibus omnibus nos quoque in nostratium lingua praepositione *bei* utimur, eodem sensu quo Pindarus *ἐπί* usus est. — Denique condicio proposita significatur Pyth. IV, 186: *ἐπὶ καὶ θανάτῳ φάρμακον κάλλιστον ἑᾶς ἀρετᾶς ἅλιξιν εὑρέσθαι σὺν ἄλλοις*, atque

convenientia Pyth. II, 49: *θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται*, IX, 89: *τέλειον ἐπ' εὐχᾷ*, *perfectum ex voto*.

Verba cum *ἐπί* composita plus centies apud Pindarum leguntur; quorum permulti interpreti magnas difficultates praebent. Attamen paucissimis de hac re absolvam. Nam de solo verbo *ἐπινέμεσθαι* nonnulla tradam, quod legitur Ol. IX, 6: *Δία τε φοινικοστερόπαν σεμνόν τ' ἐπίνειμαι ἀκρωτήριον Ἄλιδος τοιοῖςδε βέλεσσιν*. Quum simplex verbum *νέμειν* in activo quidem notionem *attribuendi*, in medio vero notionem *pascendi*, *colendi*, *fruendi* habeat, eodem modo Hartungius compositum quoque *ἐπινέμεσθαι* hoc loco explicandum esse putavit: *pasce hisce telis in Jove et Olympiae;* at vereor ne haec effigies in Jovis mentione cuiquam placeat. Duncanium in lex. *ἐπίνειμαι* per *ἔπελθε* interpretantem fefellit opinor Hesychii glossa *ἐπενείματο· ἐπῆλθεν*, quae ex falsa interpretatione duorum locorum nata mihi videtur*). Quum vero his duobis locis *ἐπινέμεσθαι* de peste et igne dictum sit depascentibus urbem, H. Stephanus in lex. eodem modo apud Pindarum hoc verbum in bonam partem versum esse et notionem pascendi habere dicit; quod propter Jovis mentionem non aptum esse jam vidimus. Ingeniose autem Pauwius *ἐπίνεισαι*, h. e. *ἔπελθε*, legendum esse conjecit; quo verbo Apollonius Rhodius usus est**). Attamen codicum lectio *ἐπίνειμαι* servanda est; nam rectum invenisse videtur Heynius, quem Boeckhius sequitur. *Ἐπινέμεσθαι* eodem modo, quo activum *ἐπινέμειν* notionem *attribuendi* tenet; pro vulgari autem structura *ἐπινέμεσθαι Διὶ βέλη* exquisitius nunc dixit Pindarus: *ἐπινέμεσθαι Δία βέλεσι*. Sic verbum *ἐπιμίσγειν* duplicem structuram passum est, cf. Pyth. II, 32:

---

*) Herod. V, 101. Thuc. II, 54.

**) Arg. IV, 817: *καὶ γάρ τε θεοὺς ἐπινίσσεται ἄτη*, ubi tamen ex nonnullis codicibus futurum *ἐπινείσεται* restituendum mihi videtur, coll. Hesych. *ἐπινείσεται· ἐπελεύσεται*.

αἷμα ἐπέμιξε θνατοῖς, Nem. X, 31: *ἀγλαΐαισιν ἐπιμῖξαι λαόν.* Recte igitur Boeckhius pulchreque interpretatur: *Jovem et verticem Elidis impertire hisce telis.*

ΠΑΡΑ.

De forma praepositionis *παρά* notissimum nota usum apocopae, quem Pindari carmina persaepe exhibent. Forma apocopata *πάρ* accentu notatur ex Reizii praecepto*). Deinde formam *πάρα* = *πάρεστι* commemoro, quae extat Fragm. 48 [57]: *σοὶ μὲν κατάρχειν, μᾶτερ μεγάλα, πάρα ῥόμβοι κυμβάλων.* —

Genetivum casum praepositio undecies apud Pindarum ascivit. Pyth. I, 76: *ἀρέομαι πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν μισθόν* et Pyth. V, 22: *κλεεννᾶς εὖχος παρὰ Πυθιάδος ἑλών* de ea causa affero ut suppleam, quae p. 8 et p. 11 sq. de praepositionibus *ἀπό* et *ἐκ* dixi. Ut nonnunquam apud ceteros poëtas, sic apud Pindarum *παρά* cum genetivo bis propinquitatem loci indicat, et in translata quidem dictione *πὰρ ποδός*, Pyth. III, 60. X, 62.

Multo saepius et dativo et accusativo *παρά* additur. Dativi exempla afferam haec tria, Ol. XII, 19: *ὁμιλέων παρ᾽ οἰκείαις ἀρούραις, commorans in propriis arvis,* quod etiam audacius dictum est quam Hom. Od. XVIII, 383**): tum translatae notionis Pyth. II, 72: *καλός τοι πίθων παρὰ παισίν, ex judicio puerorum,* et ib. 86: *ἐν πάντα δὲ νόμον εὐθύγλωσσος ἀνὴρ προφέρει, παρὰ τυραννίδι ..., in civitate cui tyranni praesunt.* — Aeque paucis accusativum absolvemus. Atque notus est is usus, ex quo *παρά* cum hoc casu notionem inconcinnitatis efficiat; occurrunt *παρὰ δίκαν, παρ᾽ αἶσαν, παρὰ γνώμαν, παρὰ σκοπόν, παρὰ καιρόν****). Tum vide Ol. IV, 25: *φύονται δὲ καὶ νέοις*

*) De acc. incl. p. 39 sq.

**) *οὕνεκα πὰρ παύροισι καὶ οὐκ ἀγαθοῖσιν ὁμιλεῖς.*

***) Hoc postremum restituere conatus sum in corruptissimo loco Pyth. II, 36 hoc modo: *εὐναὶ δὲ παράτροποι ἐς κακότατ᾽ ἀθρόαν ἔβαλον παρὰ καιρὸν ἰόντ᾽, modum praetereuntem.* Conferantur

ἐν ἀνδράσιν πολιαὶ θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον, Nem. VII, 69: *πὰρ μέλος ἔρχομαι*, de quo loco v. Dissen. in ed. Goth. Denique eiusdem usus locum affero Ol. XIII, 83: *τελεῖ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ὅρκον καὶ παρὰ ἐλπίδα κούφαν κτίσιν*, ubi Pindaro reddendum conicio *κρίσιν*. Nam *κτίσις* pro *πρᾶγμα* sane miro modo dictum esset, quamquam *κτίζειν* nonnunquam notione efficiendi praeditum est*). *Τελεῖν κρίσιν* est: *discrimen discernere*, cf. Pyth. II, 49: *τέκμαρ ἀνύεται θεός*, IX, 66: *κραίνειν τελευτάν*, Ol. XIII, 57: *τέμνειν τέλος μαχᾶν*, II, 31: *πεῖρας θανάτου*, Pyth. I, 35: *τελευτὰ νόστου*, Nem. III, 25: *νόστου τέλος*. — Praeter hunc usum modo perlustratum duo restant Pindari loci notatu dignissimi, Ol. II, 65: *οὐ χθόνα ταράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ, οὐδὲ πόντιον ὕδωρ κεινὰν παρὰ δίαιταν*, *propter inanem victum*, vel *ad inanem victum comparandum***) et Pyth. XI, 63: *παρ' ἆμαρ*, *alternis diebus****).

Ex verborum cum *παρά* compositorum magno numero primo loco duo notanda, quae *ἅπαξ εἰρημένα* sunt. Alterum extat Pyth. IV, 133: *πάντα συγγενέσιν παρεκοινᾶτο*, *omnia cum consanguineis communicavit*, alterum Ol. VIII, 3: *μάντιες ἄνδρες ἐμπύροις τεκμαιρόμενοι παραπειρῶνται Διὸς ἀργικεραύνου, εἴ τιν' . . .*, *explorant Jovem, siquod habeat dictum*. Structura huius verbi eadem est ac simplicis verbi *πειρᾶσθαι τινός, εἰ . .*, praepositio *παρά* notionem consequendi ab aliquo vel ex aliquo praebet, ut in *παραιτεῖν, παραλαμβάνειν*. Scholiastae verbum explicant per *ἀποπειρᾶσθαι* †). — Denique ad locum saepenumero ten-

---

verba quae praecedunt: *χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον. εὐναὶ δὲ . . .* —

*) Cf. Schneidewin. nott. critt. ad Ol. I, 64.

**) Matth. Gr. §. 588. c. δ.

***) Matth. Gr. §. 588., not. z.

†) Boeckhius apte confert Xenoph. Mem. I, 4, 18: *τῶν θεῶν πεῖραν λαμβάνεις θεραπεύων, εἴ τί σοι θελήσουσι περὶ τῶν ἀδήλων ἀνθρώποις συμβουλεύειν.*

tatum animum convertam, Pyth. I, 26: *τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι.* Sic enim cum Schneidewino et Bergkio scribendum. Libri quidem optimi exhibent vel *θαυμάσιον ἰδέσθαι* vel *θαυμάσιον πυθέσθαι,* quod utrumque metro non convenit; lectio vero *θαυμάσιον τι ἰδέσθαι* interpolationis notam manifesto prae se fert; *προσιδέσθαι* extat in ed. Rom. et apud Gellium.*). Ex compendio praepositionis *προς* lectio *πυθέσθαι* orta esse mihi videtur; praepositio autem plane omissa est a librario, cui illud Homeri *θαῦμα ἰδέσθαι* obversabatur. Quod vero Boeckhius dicit, *ἰδέσθαι* ex Homero notum et usitatum servandum esse, praesertim quum opponatur *θαῦμα ἀκοῦσαι,* in eo virum clarissimum non sequor, quum vis formulae jam eo fracta sit, quod *τέρας θαυμάσιον* in locum Homerici *θαῦμα* substitutum est; neque amat Pindarus epicam — ut ita dicam — parilitatem oppositorum**). Jamjam de sensu quaerendum, quem Schneidewinus recte definiit his verbis: *miraculum* **et videntibus et audientibus.** Nam Boeckhius falsam oppositionem effert interpretatus: *miraculum et aspectu et auditu* **ex eis qui affuerunt**; neque ei praesens *παριόντων* favet, in cuius loco tempus praeteritum expectatur. Verba igitur *θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι* hanc sententiam poscunt: *miraculum vero etiam auditu* **praetereuntibus**; *παριόντων* casus absolutus est; suppleas *τινῶν*: *si qui praetereunt****). Nec non aegre fero, si quis interpretetur: *miraculum auditu* **accedentibus**; nam utramque notionem et praetereundi et accedendi verbum *πάρειμι* saepe exhibet.

ΠΡΟΣ.

Tertia fere pars locorum quibus praepositio *πρός* extat doricam formam *ποτί* praebet; huius formae litera *ι* ante

---

*) N. A. XVII, 10.

**) Cf. Pyth. IV, 80. II, 51. 89. al.

***) Cf. Pyth. VIII, 43. 85. Nem. I, 32.

vocalem eliditur, quod tamen semel tantum apud Pindarum occurrit Ol. VII, 90: *ποτ' ἀστῶν*. Apocopa literae *ι* Fragm. 87 [99] extat in forma *ποττάν* = *πρὸς τάν*, ubi tamen Boeckhius *πρὸς τάν* rescribi mavult*). In compositis forma *ποτί* raro legitur; *ποτιστάζειν* et *ποτιψαύειν* cur dicta sint, facile intellegitur; praeter haec *ποτικλίνειν*, *ποτινίσσεσθαι*, *ποτίφορος* (quamquam saepius *πρόςφορος*), *ποτίκολλος* et elisa litera *ι* *ποταίνιος* extant. —

Saepissime haec praepositio accusativo juncta invenitur; dativus apud Pindarum quater tantum extat: genetivum autem quatuordecim locis legi. Atque primum nonnullos locos recensebo, quibus accusativum legimus. Crucem paravit interpretibus Pyth. IV, 295: *συμποσίας ἐφέπων θυμὸν ἐκδόσθαι πρὸς ἥβαν πολλάκις*, *animum tradere ad juvenilem hilaritatem*, ubi *πρὸς ἥβαν* distinctius dictum est, quam si ex vulgari usu dativus *ἥβᾳ* positus esset; aptissime puto conferas eundem usum praepositionis *ἐς*, qui legitur Fragm. 98 [110]: *ἐς τὸν ὕπερθεν ἅλιον ἀνδιδοῖ ψυχάς* (pag. 4) vel etiam Eur. Hippol. 986: *ἐγὼ δ' ἄκομψος εἰς ὄχλον δοῦναι λόγον*. Tum praepositionem *πρός* non est cur mireris Pyth. II, 82: *σαίνων ποτὶ πάντας* et Ol. IV, 5: *ἔσαναν ἀγγελίαν ποτὶ γλυκεῖαν*, metaphora a canibus ducta caudam jactantibus versus dominum. — Jam est ut de hostili sensu praepositionis agamus. Nam quum *πρός* significet, moveri aliquid adversus hostem, sicuti Nem. IX, 38: *φόνου νεφέλαν τρέψαι ποτὶ δυςμενέων ἀνδρῶν στίχας*, exinde translato sensu notio certandi cum homine vel re orta est. Notio quidem movendi inest etiam in translata dictione Pyth. II, 84: *ποτὶ δ' ἐχθρὸν ἅτ' ἐχθρὸς ἐὼν ὑποθεύσομαι*, at praepositionem ipsam translatam vides ib. 88: *χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν*, Ol. II, 88. V, 16. — Denique singulos quosdam locos afferam, qui praepositionem varias usus rationes induentem exhibent. Ol. VIII, 8 legimus *ἄνεται πρὸς χάριν εὐσεβίας*, sicuti alibi *ἐς χάριν*

*) Nott. critt. ad Pyth. I, 56.

(pag. 5). Tum non vulgarem structuram verbum *ἀντιάζειν* ascivit Ol. XI, 84: *χλιδῶσα δὲ μολπὰ πρὸς κάλαμον ἀντιάξει, cantus occurret tibiae.* Quocum usu conferatur locus p. 57 laudatus Ol. XII, 19: *ὁμιλέων παρ' οἰκείαις ἀρούραις,* ubi pari modo objectum in dictionem praepositionalem abiit*). — Tribus Pindari locis *πρός* cum accusativo junctum tempus indicat, Pyth. IX, 25: *παῦρον ὕπνον ἀναλίσκοισα πρὸς ἀῶ, sub auroram* vel proprie *versus auroram,* Nem. IX, 44: *ἐκ πόνων τελέθει πρὸς γῆρας αἰὼν ἁμέρα, versus senectutem, quando senectus adrepit,* Ol. I, 67: *πρὸς εὐάνθεμον δ' ὅτε φυὰν λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον..., circa floridam aetatem,* hoc est fere: *in adolescentiae flore.*

Deinde dativum, quem supra quater extare diximus praepositioni *πρός* additum, his locis legis. Pyth. I, 86: *ἀψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν* propriam huius casus vim praebet; verbis movendi additum videmus Pyth. IV, 24: *ἄγκυραν ποτὶ ναΐ κρημνάντων,* IX, 118: *ποτὶ γραμμᾷ αὐτὰν στᾶσε***).* Atque in pulcherrimo Fragmento 221 [188]: *Ἀλάθεια, μὴ πταίσῃς ἐμὰν σύνθεσιν τραχεῖ ποτὶ ψεύδει, ne allidas meam fidem in aspero mendacio,* mendacium tanquam scopulus cogitatur, in quo fides alliditur***).

Maxime proprius Pindarus in praepositione *πρός* genetivo juncta est. Significat autem hic casus hominem, cuius a parte actio aliqua proficiscitur; ita fit ut verbis passivis *πρός* cum genetivo addatur similiter ac praepositio *ὑπό* cum genetivo, quam Pindarus ob abstractam eius notionem non amat. Cf. Isthm. II, 7: *οὐδ' ἐπέρναντο γλυκεῖαι μελιφθόγγου ποτὶ Τερψιχόρας ἀοιδαί,* Fragm. 98 [110]: *ἥρωες ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται,* Isthm. III, 77: *τετίμαται*

---

*) Ipsam praepositionem *πρός* eodem modo usurpatam vides Hom. Il. VI, 235: *ὃς πρὸς Τυδεΐδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν χρύσεα χαλκείων.*

**) Cf. ἐν pag. 22.

***) Cf. Aesch. Prom. 926: *πταίσας δὲ τῷδε πρὸς κακῷ,* ubi *πταίειν* intransitive dictum est.

πρὸς ἀθανάτων φίλος, Fragm. 88 [100]: *πρὸς Ἀφροδίτας ἀτιμασθείς*. Tum vide Nem. X, 42: *Προίτοιο ἄστυ θάλησεν Κορίνθου τ' ἐν μυχαῖς καὶ Κλεωναίων πρὸς ἀνδρῶν, floruit a parte Cleonaeorum* vel *per Cleonaeos*, qui aliquando ludis Nemeacis praeerant. Deinde is significatur, ex cuius parte bona malaque hominibus proficiscuntur, Nem. IX, 45: *λαχὼν πρὸς δαιμόνων ὄλβον*, Pyth. III, 103. IV, 63. Quibus adde Pyth. IV, 297: *μήτ' ὦν τινι πῆμα πορών, ἀπαθὴς δ' αὐτὸς πρὸς ἀστῶν*, ubi *ἀπαθὴς πρὸς ἀστῶν* idem est quod *μὴ πάθη λαχὼν πρὸς ἀστῶν*, Ol. VII, 90: *δίδοι τέ οἱ αἰδοίαν χάριν ποτ' ἀστῶν καὶ ποτὶ ξείνων*, ubi notio proficiscendi ab alicuius parte in praepositione ipsa inest, non addito verbo ex quo praepositionis usus pendeat. Alius rursus videtur usus Pyth. IV, 286: *ὁ καιρὸς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει, opportunitas breve spatium habet a parte hominum*, h. e. *ex judicio hominum;* nam injuria Boeckhius et Dissenius interpretantur per *παρ' ἀνθρώποις*, *apud homines**). In jurejurando *πρός* cum genetivo bis extat apud Pindarum, Fragm. 60 [67] et 74 [84]: *πρὸς Διός, per Jovem.* Uno denique loco *πρός* rem indicat, cuius a parte aliquid spectatur vel cuius ex comparatione aestimatur, Ol. II, 24: *πένθος ἐπίτνει βαρὺ κρεσσόνων πρὸς ἀγαθῶν, corruebat gravis luctus a parte maiorum bonorum*, quod non idem est ac: *per maiora bona*, sed fere: *prae maioribus bonis*, ut recte vertit Boeckhius.

Restant composita cum *πρός*, ex quibus primo loco nomino *ποτιστάζειν* apud ceteros non extans, apud Pindarum Ol. VI, 76. Pyth. IV, 137, de quo altero loco cf. Dissen. Tum verbum *προςφέρειν* notandum est, quod Nem. VI, 4 et Fragm. 173 [19] significat: *similem esse*, opposito *διαφέρειν* (Nem. VII, 54); de quo usu praeter illos locos non extante, nisi in versu a Schol. ad Nem. III, 127 laudato, cf. Dissen. ad Nem. VI, 4 in ed. Goth.

---

*) Cf. Matth. Gr. §. 590, pag. 1179, ibique laud. Thuc. I, 71: *δρᾶν οὐδὲν ἄδικον οὔτε πρὸς θεῶν οὔτε πρὸς ἀνθρώπων.*

ΥΠΟ.

Praepositio *ὑπό* dativo juncta apud Pindarum vicies sexies extat, genetivo terdecies, accusativo sexies. Neque recedit poëta in eius usu a ceteris, ita ut paucis absolvere liceat. Atque primum de dativo agamus. Locus indicatur, sub quo aliquid versatur vel fit, Ol. VI, 76. Pyth. I, 64. Nem. VI, 50. X, 56. Fragm. 205 [175]. 258 [219]. Adde Pyth. VIII, 77: *δαίμων δὲ παρίσχει, ἄλλοτ' ἄλλον ὕπερθε βάλλων, ἄλλον δ' ὑπὸ χειρῶν μέτρῳ καταβαίνει,* ubi notio morandi et notio movendi confusae sunt: *alium descendere jubet ita ut sit sub mensura manuum,* cf. Dissen. Eodem modo verbo movendi *ὑπό* cum dativo additum est Ol. I, 19: *νόον ὑπὸ γλυκυτάταις ἔθηκε φροντίσιν,* ubi vulgo *ὑπέθηκε* jungitur injuria. Tum Pyth. XII, 9: *θρῆνον, τὸν παρθενίοις ὑπό τ' ἀπλάτοις ὀφίων κεφαλαῖς ἄϊε λειβόμενον, quem audivit fusum ex serpentum capitibus*, pro dativo genetivum expectamus, qui praepositioni *ὑπό* additus notionem rei ex aliquo loco submotae et subtractae praebet. Deinde, translato usu, indicatur, legibus aliquem obnoxium esse, Fragm. 4 [1]: *ὑπὸ στάθμᾳ νέμονται.* Porro frequentissimus est is usus, ex quo *ὑπό* cum dativo hominem significat, per quem actio aliqua efficitur, vel rem cuius ope ea fit; qui usus maxime invenitur apud verba occumbendi et intereundi, Ol. XI, 36. Pyth. III, 10. Nem. I, 68. VII, 18. VIII, 30. IX, 33. Isthm. VII, 70. Fragm. 10 [11]; quibus addo Ol. VI, 35: *ὑπ' Ἀπόλλωνι γλυκείας πρῶτον ἔψαυσ' Ἀφροδίτας,* Isthm. VII, 45: *λύοι κεν χαλινὸν ὑφ' ἥρωϊ παρθενίας.* Denique ad indicandas res, quibus actio juncta est, adhibetur; quae tamen res nonnunquam etiam sic cogitari possunt, ut per eas actio ipsa fiat; cf. Isthm. V, 44: *εὐχαῖς ὑπὸ θεσπεσίαις λίσσομαι.* Cetera illius usus testimonia extant Ol. V, 6 (cf. Boeckh. ad h. l.). Pyth. V, 101. Nem. VII, 84. Fragm. 48 [57]. 97 [109].

Genetivo juncta praepositio *ὑπό* primum notionem submovendi et subtrahendi ex aliquo loco habet; cuius

usus sunt quatuor exempla apud Pindarum, Pyth. IX, 61: *ἀνελὼν φίλας ὑπὸ ματέρος*, Pyth. XI, 18: *τὸν Ἀρσινόα Κλυταιμνήστρας χειρῶν ὕπο κρατερᾶν ἄνελε*, Nem. I, 35: *σπλάγχνων ὕπο ματέρος μόλεν*, Ol. VI, 43: *ἦλθεν δ' ὑπὸ σπλάγχνων ὑπ' ὠδῖνός τ' ἐρατᾶς Ἴαμος ἐς φάος*. Quorum quarto loco Jamus ex utero et ex doloribus partus lucem subiisse dicitur; in quo hoc alterum: *ὑπ' ὠδῖνος ἦλθεν* translato sensu dictum est, similiter ac Nem. I, 36: *ὠδῖνα φεῦγεν*, quem locum Dissenius jure confert; at non est, neque cur cum Boeckhio *ὑπό* duplici sensu dictum putemus: *ex utero et* **inter dolores**, neque cur cum Dissenio *ἓν διὰ δυοῖν* statuamus: *ὑπ' ὠδῖνος σπλάγχνων*. — Tum eodem modo, quo dativus, etiam genetivus locum indicat sub quo aliquid versatur vel fit, Ol. II, 83. VI, 40. XI, 30. XIII, 110. Res, cui aliquid succumbit, significatur Ol. II, 19: *ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων πῆμα θνάσκει*, atque homo, a quo actio proficiscitur, Ol. II, 96: *αἶνον ἔβα κόρος μάργων ὑπ' ἀνθρώπων, laudem invasit invidia profecta ab improbis hominibus*, et Nem. II, 20: *Κορινθίων ὑπὸ φωτῶν στεφάνοις ἔμιχθεν*. Denique duobus locis, Ol. IV, 2 et VII, 13, *ὑπό* cum genetivo res indicat, quibus actio aliqua juncta est.

Accusativo addita praepositio *ὑπό* locum indicat, sub quem aliquid movetur, Pyth. IX, 81. Nem. III, 60. Fragm. 102 [114]. 148 [144]. et translato sensu Fragm. 244 [208]. Locum, sub quo aliquid porrigitur, habes Pyth. X, 15.

Denique sunt nonnulla verba cum *ὑπό* composita, in quorum usu Pindarus proprius videtur. De verbo *ὑποκρέκειν* v. Boeckh. ad Ol. IX, 39*) de *ὑποσκάπτειν* v. Dissen. ad Nem. V, 20 in ed. Goth., de *ὑποστέλλειν (vela contrahere)* eundem ad Isthm. II, 40, de *ὑποκνίζειν* Boeckh. et Dissen. ad Pyth. X, 60. Verba *ὑποβλά-*

*) Cf. Goram. obss. in aliquot Pindari locos, Merseburg. 1851, p. 4 sq.

πτεσθαι et *ὑποκλέπτεσθαι* non extant apud Pindarum, nam Nem. VII, 18 et IX, 33 praepositio substantivo *κέρδει* jungenda est. Denique de nomine *ὑπόφαυτις* lege Boeckh. nott. critt. ad Pyth. II, 76 et de *ὑποπτέροις ναυσίν* eiusdem expll. ad Ol. IX, 26.

II.

De collocatione praepositionum.

De tmesi.

Ubi apud Pindarum praepositio a verbo suo, aliis vocabulis interpositis, remota est, cavenda sunt haec duo, primum ne praepositio, interno cum verbo conexu plane abjecto, tanquam adverbium habeatur, tum vero ne ex sola libidine sejuncta esse ideoque non aliam vim praebere videatur, ac si verbo suo agglutinata sit. Nam hoc quidem manifestum est, sejunctam a verbo praepositionem multo magis propriam vim vel vim adverbialem habere quam cum verbo ipso compositam; immo inservit tmesis, quam dicunt, ad extollendam praepositionis notionem; attamen ea conexum cum verbo non plane abjecit, sed nusquam eius vis intellegi potest nisi hoc conexu spectato et observato. Non vero res eadem est, si praepositio re vera adverbii usum iniit; ubi hoc fit, praepositio cum verbo non conectenda per se spectanda est. At dixerit quis, quum primaria praepositionum vis adverbialis ansam dederit ad componendas eas cum verbis, de ea causa sejunctas a verbis praepositiones rursus in adverbiorum statum redire; hoc vero non ita est, nam in compositione verborum cum praepositionibus

fere semper primaria vis praepositionum aliquo modo deminuitur et obliteratur. Simulque vero in eadem re manifesta inest causa, quare praepositio a verbo suo fere nusquam sejungatur nisi in eis verbis, in quibus praepositio primariam vim concretam quam maxime servavit.

Tmesis, ut diximus, statui non potest eis locis, quibus in priori huius dissertationis parte praepositionis usum adverbialem statuimus; cuius usus in praepositione *ἐν* quinque, in *ἀμφί* tria, in *σύν* et *μετά* singula fuerunt exempla. Diversi autem erant hi loci; altera enim pars perfecta adverbia praebuit, ut *ἐν δέ* = *simulque (zugleich)*, *ἀμφί* = *in toto circuitu (rings)*; huc pertinebant Ol. VII, 5. XI, 73 (*ἐν*), Ol. I, 50. Pyth. VIII, 85 (*ἀμφί*); in altera parte nominis alicuius ellipsis latuit, sicuti ad *ἐν δέ* cogitandum erat *Κορίνθῳ*; quod vidimus Ol. XIII, 22. Nem. VII, 78. Fragm. 48 [57] (*ἐν*), Isthm. V, 12 (*σύν*), Pyth. IV, 81 (*ἀμφί*), Pyth. IV, 64 (*μετά*). Nos, ubi hoc alterum fit, dicimus: *darin*, *damit*, *darum*, *darnach*, adverbia composita ex praepositione et rei, ad quam referatur praepositio, notatione*). — Ab hoc adverbiali usu ad ipsam tmesin accedentes primo loco monemus, nonnullis locis praepositionem a verbo remotam ad adverbii speciem propius accedere quam ceteris; quod ut probem, profero Pyth. V, 124: *εὔχομαί νιν Ὀλυμπίᾳ τοῦτο δόμεν γέρας ἔπι Βάττου γένει*, ubi quidem *ἐπιδόμεν* conjungendum est, sed praepositio *ἐπί* fere adverbii speciem reddit: *insuper*; addo Ol. XI, 45: *περὶ δὲ πάξαις Ἄλτιν*. His similibusque locis tmesis statuenda est, quamquam praepositio satis propriam vim adepta est. Extat autem tmesis **quadraginta duobus** Pindaricorum carminum locis. W. Piersonus quidem, qui in Musei Rhenani vol. XI de tmesi apud poëtas Graecos, de Pindaro pag. 379—400, eximie disseruit, triginta tria tantum exempla enumeravit; qua de causa si rem denuo tractaturus et omnes qui huc pertinere mihi

*) Cf. G. Hermann. in Jahn. Ann. Vol. suppl. I. (a. 1831), p. 132.

videntur locos recensiturus sim, in tanta dissensione excusatione non egeo. Priusquam autem ad ipsam rem accedam, eos locos nominare liceat, quibus Piersonus et Pindari interpretes, maxime Boeckhius, in statuenda tmesi errasse videntur. Atque primum Piersonus, praeeunte Boeckhio, Isthm. II, 34 tmesin praepositionis *ἐς* statuit, vi loci non cognita; cf. pag. 3. Tum tribus locis, Fragm. 48 [57]. Ol. VII, 5. Isthm. V, 12, non vidit, *ἐν* et *σύν* pro adverbiis posita esse; de prioribus duobus locis v. pag. 17 sq., de tertio pag. 26. Denique idem Nem. IX, 33: *αἰδὼς ὑπὸ κρύφα κέρδει κλέπτεται* praepositionem a verbo remotam esse judicavit, quod ex causa quam mox exponam non aptum est. Interpretum autem nullus in statuenda tmesi longius progressus esse videtur quam Boeckhius Ill. Saepe enim verborum collocatio talis est, ut praepositio et a verbo per tmesin separata esse videri et cum casu apposito conjungi possit; cf. Pyth. VIII, 68: *κατὰ τὶν* (= *σοῦ*) *ἁρμονίαν βλέπειν*, ubi et *βλέπειν κατὰ τὶν ἁρμονίαν* et *καταβλέπειν τὶν ἁρμονίαν*, vel Isthm. III, 41: *ἐν ὕπνῳ γὰρ πέσεν*, ubi et *πέσεν ἐν ὕπνῳ* (cf. p. 23) et *ἔμπεσεν ὕπνῳ* jungi possunt. At omnibus his locis tmesin statuere non licet, sed praepositio cum nomine conjungenda est; nam tmesis, quum figura sit, quam dicunt, ideoque insoliti aliquid praebeat et a vulgari usu diversum, omnibus eis locis, quibus vulgaris usus statui potest, reicienda est. Apponam verba Piersoni, qui ipse illam normam proposuit l. l. p. 92: ... Auch stehen zuweilen Verbum, Praeposition und Casus so zusammen, dass der letzte grammatisch sowohl von der Praeposition, als von dem mit der Praeposition componirten Verbum abhängen könnte; dann dürfte gezweifelt werden, ob man Tmesis oder gewöhnliche Construction vor sich habe. Doch muss man sich stets, falls nicht ganz dringende Gründe, entweder der Usus oder poëtische Nothwendigkeit, dagegen sprechen, für das Letzte, die praepositionelle Construction entscheiden, weil eben die Tmesis etwas Un-

gewöhnliches, Ausnahmsweises ist. So z. B. Soph. Ai. 788: *ἐξ ἕδρας ἀνίστατε* . .; hier könnte man construiren *ἕδρας ἐξανίστατε*, ohne gegen Grammatik oder Sinn zu verstossen; ja es wäre dies fast mehr dem gewöhnlichen Gebrauche angemessen. Allein einmal ist *ἐξ ἕδρας ἀνίστατε* ebenfalls ganz richtig und gewöhnlich; und dann ist es bei weitem lebendiger, plastischer, kurz poëtischer. Piersonus autem ipse uno loco Nem. IX, 33, quem supra laudavi, hanc legem neglexit; nam quum *ὑπὸ κέρδει* recte conjungi possint (cf. p. 63) nec ulla causa tmesi statuendae magis faveat, re vera haec reicienda est. Eademque de causa de omnibus huius modi locis, quibus Boeckhius vel ceteri interpretes tmesin statuerunt, in priori dissertationis parte aliter judicavi atque saepe etiam alias causas protuli, quibus commotus tmesin statui non posse demonstravi. His igitur locis tmesin rejecimus: Ol. I, 19. p. 63; II, 34. p. 50; VI, 50. VI, 75. p. 47; VII, 24. p. 43; VII, 91. p. 14; X, 13. p. 55; Pyth. I, 72. p. 34; IV, 24. p. 61; V, 58. p. 48; VIII, 68. p. 36; Nem. VII, 18. IX, 33. p. 65; Isthm. VII, 14. p. 54; Fragm. 58 [64. 65] p. 40; tum permultis eorum locorum, quos p. 23 sq. et p. 53 sq. tractavimus, imprimis Ol. VIII, 68. p. 23 coll. p. 10 sq.; XI, 82. Pyth. I, 74. p. 24. Quorum numerus facile permultis aliis augeri potest, sed ad ipsam tmesin properemus. Quae quadraginta duobus Pindari locis, ut jam dixi, extat; quos ex ordine praepositionum nunc ascribam:

1) Ol. II, 69: *ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐςτρὶς ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν.* Piers. l. l. p. 388.

2) Ol. IX, 35: *ἀπό μοι λόγον τοῦτον, στόμα, ῥῖψον.* Piers. p. 387.

3) Ol. XIII, 59: *οἱ δ' ἀπὸ πάμπαν εἴργοντες.* Piers. p. 388.

4) Pyth. I, 82: *ἀπὸ γὰρ κόρος ἀμβλύνει αἰανὴς ταχείας ἐλπίδας.* Omisit Piersonus.

5) Pyth. III, 101: ἐν πολέμῳ τόξοις ἀπὸ ψυχὰν λιπών. Piers. p. 391.

6) Pyth. IV, 67: ἀπὸ δ' αὐτὸν ἐγὼ Μοίσαισι δώσω. Piers. p. 391.

7) Pyth. IV, 232: ὣς ἄρ' αὐδάσαντος ἀπὸ κρόκεον ῥίψαις Ἰάσων εἷμα θεῷ πίσυνος εἴχετ' ἔργου. Piers. p. 392.

8) Isthm. VI, 30: ζώων τ' ἀπὸ καὶ θανών, Piers. p. 395.

9) Fragm. 87 [99]: ἐρατειναῖς ἐν εὐναῖς μαλθακᾶς ὥρας ἀπὸ καρπὸν δρέπεσθαι. Piers. p. 396.

10) Fragm. 147 [143]: ἐσσυμένως ἀπὸ μὲν λευκὸν γάλα χερσὶ τραπεζᾶν ὤθεον. Piers. p. 397.

11) Pyth. II, 46: Κένταυρον, ὃς ἵπποισι Μαγνητίδεσσιν ἐμίγνυτ' ἐν Παλίου σφυροῖς, ἐκ δ' ἐγένοντο στρατὸς θαυμαστός. Piers. p. 390.

12) Pyth. XII, 29: ἐκ δὲ τελευτάσει νιν ἤτοι σάμερον δαίμων. Piers. p. 392.

13) Nem. I, 48: ἐκ δ' ἄρ' ἄτλατον βέλος πλᾶξε γυναῖκας. Piers. p. 392.

14) Ol. VII, 43: ἐν δ' ἀρετὰν ἔβαλεν καὶ χάρματ' ἀνθρώποισι Προμαθέος αἰδώς. Piers. p. 385.

15) Pyth. IV, 129: πᾶσαν ἐν εὐφροσύναν τάνυεν. Om. Piers.

16) Ol. VII, 75: δ'ιὰ γαῖαν τρίχα δασσάμενοι πατρωΐαν. Om. Piers.

17) Nem. III, 24: δάμασε δὲ θῆρας ἐν πελάγεσιν ὑπερόχος, διά τ' ἐξερεύνασε τεναγέων ῥοάς. Om. Piers.

18) Ol. I, 49: ὕδατος ὅτι τε πυρὶ ζέοισαν ἀμφ' ἀκμὰν μαχαίρᾳ τάμον κάτα μέλη. Piers. p. 382.

19) Ol. VI, 14: ἐπεὶ κατὰ γαῖ' αὐτόν τέ νιν καὶ φαιδίμας ἵππους ἔμαρψεν. Piers. p. 383.

20) Ol. VIII, 19: ἦν δ' ἐσορᾶν καλός, ἔργῳ τ' οὐ κατὰ εἶδος ἐλέγχων. Piers. p. 397.

21) Fragm. 157 [148]: *κατὰ μὲν φίλα τέκν' ἔπεφνεν θάλλοντας ἥβᾳ.* Om. Piers.

22) Ol. XIII, 72: *ἀνὰ δ' ἐπᾶλτ' ὀρθῷ ποδί.* Piers. p. 388.

23) Pyth. IV, 34: *ἂν δ' εὐθὺς ἁρπάξαις ἀρούρας δεξιτερᾷ προτυχὸν ξένιον μάστευσε δοῦναι.* Piers. p. 391.

24) Pyth. IV, 228: *ἀνὰ βωλακίας δ' ὀρόγυιαν σχίζε νῶτον γᾶς.* Piers. p. 392.

25) Nem. V, 51: *ἀνὰ δ' ἱστία τεῖνον πρὸς ζυγὸν καρχασίου.* Piers. p. 393.

26) Nem. IX, 8: *ἀλλ' ἀνὰ μὲν βρομίαν φόρμιγγ', ἀνὰ δ' αὐλὸν ἐπ' αὐτὰν ὄρσομεν ἱππίων ἄθλων κορυφάν.* Piers. p. 393.

27) Isthm. V, 62: *ἀνὰ δ' ἄγαγον ἐς φάος οἵαν μοῖραν ὕμνων.* Piers. p. 395.

28) Ol. XI, 45: *περὶ δὲ πάξαις Ἄλτιν μὲν ὅγ' ἐν καθαρῷ διέκρινε.* Om. Piers.

29) Ol. II, 37: *οὕτω δὲ Μοῖρ', ἅ τε πατρώϊον τῶνδ' ἔχει τὸν εὔφρονα πότμον, θεόρτῳ σὺν ὄλβῳ ἐπί τι καὶ πῆμ' ἄγει παλιντράπελον ἄλλῳ χρόνῳ.* Om. Piers.

30) Ol. III, 6: *χαίταισι μὲν ζευχθέντες ἔπι στέφανοι.* Piers. p. 382.

31) Ol. VII, 45: *ἐπὶ μὰν βαίνει τι καὶ λάθας ἀτέκμαρτα νέφος.* Piers. p. 386.

32) Ol. VIII, 32: *Ἰλίῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον τεῦξαι.* Piers. p. 387.

33) Pyth. II, 9: *ἐπὶ γὰρ ἰοχέαιρα παρθένος . . . αἰγλᾶντα τίθησι κόσμον.* Piers. p. 389.

34) Pyth. V, 124: *εὔχομαί νιν Ὀλυμπίᾳ τοῦτο δόμεν γέρας ἐπὶ Βάττου γένει.* Om. Piers.

35) Pyth. IX, 54: *ἐπὶ λαὸν ἀγείραις νασιώταν ὄχθον ἐς ἀμφίπεδον.* Om. Piers.

36) Pyth. IX, 124: *πολλὰ μὲν κεῖνοι δίκον φύλλ' ἐπὶ καὶ στεφάνους.* Om. Piers.

37) Pyth. XI, 14: *ἔμνασέ μ' ἑστίαν τρίτον ἐπὶ στέφανον πατρῴαν βαλών.* Om. Piers.

38) Isthm. VII, 45: *τοὶ δ' ἐπὶ γλεφάροις νεῦσαν ἀθανάτοις.* Om. Piers.

39) Isthm. VII, 58: *ἐπὶ θρῆνόν τε πολύφαμον ἔχεαν.* Piers. p. 395.

40) Ol. III, 38: *ἐμὲ δ' ὦν πὰρ θυμὸς ὀτρύνει φάμεν . . .* Piers. p. 383 lectionem *πάρ* non agnoscit.

41) Isthm. VII, 11: *ἐπειδὴ τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς γε Ταντάλου λίθον παρά τις ἔτρεψεν ἄμμι θεός.* Piers. p. 398.

42) Nem. VII, 68: *ὁ δὲ λοιπὸς εὔφρων ποτὶ χρόνος ἕρποι.* Om. Piers.

Qua ex recensione vides,

ἀπό decies,
ἐκ ter,
ἐν bis,
κατά quater,
ἀνά sexies,
περί semel,
ἐπί undecies,
παρά bis,
πρός semel in tmesi extare.

Praepositiones autem *εἰς, ἀντί, πρό, σύν, ὑπέρ, ἀμφί, μετά, ὑπό* apud Pindarum quidem nusquam a verbo sejunctae sunt.

Reliquum est ut de nonnullis recensitorum locorum verba faciamus. Atque primum causas non invenimus, quibus commotus Piersonus omiserit Pyth. I, 82 (n. 4). IV, 129 (n. 15). Ol. VII, 75 (n. 16). Fragm. 157 [148] (n. 21). Ol. XI, 45 (n. 28). II, 37 (n. 29). Pyth. IX, 54 (n. 35). Isthm. VII, 45 (n. 38). Nem. VII, 68 (n. 42). Nec enim ullo horum locorum varietas lectionis a certo judicio nos detinere potest, neque praepositio alia ratione explicari potest nisi statuenda tmesi. Tum Pyth. XI, 14 (n. 37): *ἔμνασέ μ' ἑστίαν τρίτον ἐπὶ στέφανον πατρῴαν βαλών* si quis *ἐπί* cum accusativo *ἑστίαν πατρῴαν* conjungeret, erraret; nam quum versus 13. voce *ἑστίαν* claudatur, jam rhythmus hanc vocem verbis *ἔμνασέ με* an-

nectit, atque tum ipsa collocatio verborum poscit, ut ἐπί cum βαλών jungamus. Deinde Pyth. V, 124 (n. 34) fieri quidem non potest propter sententiam loci, ut ἐπί verbis *Βάττου γένει* annectatur; at credere quis possit, ἐπί adverbialiter positum esse: *insuper;* eadem vero vis in composito verbo ἐπιδιδόναι inest: *insuper dare.* Fere idem valere videtur de Pyth. IX, 124 (n. 36). Quamquam his locis fateor praepositionem ad adverbii speciem propius accedere quam ceteris, v. s. De accentu vero in anastropha non retracto videbimus infra. Restant duo loci, quos Piersonus tmesi non ascripsit. In quorum altero, Ol. III, 38 (n. 40), lectio dubia est; equidem Boeckhii emendationem ἐμὲ δ᾽ ὦν πάρ θυμὸς ὀτρύνει secutus sum propter inanem et exilem vim voculae πά (= πώς), quam libri praebent. In altero vero loco, Nem. III, 24 (n. 17), lectio quidem dubia est; sed, utut legis, tmesis non dubia est. In codicibus enim est: δάμασε δὲ θῆρας ἐν πελάγεσιν ὑπερόχως. ἰδία τ᾽ ἐξερεύνασε τεναγέων . . ., ubi manifestum est, ἰδία ex praepositione διά ortum esse, quam Hermannus primus restituit; tum vero idem scripsit διά τ᾽ αὖτ᾽ ἐρεύνασε, Boeckhius autem, quem Dissenius et Schneidewinus sequuntur, διά τ᾽ ἐξερεύνασε. Mihi quoque Boeckhii scriptura magis placet propter significantem vim duarum praepositionum, ut taceam de auctoritate codicum. Perraro quidem apud Pindarum verba extant cum duabus praepositionibus composita*), atque fere nusquam apud poëtas in talibus verbis altera praepositio a cetera verbi parte separata legitur**); at hoc loco neminem fugiet, quantam vim duae praepositiones atque altera ab altera remotae efficiant. — Denique tres memorandi

---

*) Sunt haec: ἐξανίσταντται Pyth. IV, 49, ἐξανῆκεν Pyth. IV, 99, ἐγκατέβα Nem. I, 38, ἐγκαθίζων Pyth. IV, 153, ἐπεμβεβαῶτες Nem. IV, 29, ἐπαντέλλων Ol. VIII, 28, συνεφαπτόμενος Ol. XI, 97, et de quo agimus διεξερεύνασε Nem. III, 24. Quod voluit Boeckhius, συμπαρέστασεν Ol. VI, 42, non est vera scriptura; cf. Kayser. ad h. l.

**) Pierson. l. l. p. 426.

sunt loci, qui inter praepositionem et verbum nomen interpositum praebent, quod cum praepositione conjungi potest. Pyth. IV, 228 (n. 24) Boeckhius jungit ἀνὰ ὀρόγυιαν, ipsa tamen collocatione verborum non assentiente; Dissenius recte ἀνὰ-σχίζε jungit. In Fragmento 147 [143] (n. 10) Piersonus summo jure tmesin defendit contra alteram structuram ἀπὸ τραπεζᾶν, atque Ol. II, 69 (n. 1) et usus verbi ἀπέχειν et vis poëtica cogunt nos ut tmesin statuamus. — Postremo dicendum esset etiam de vi locorum, quibus tmesis extat, et de effectu huius figurae. Sed omitto hanc rem, quum jam nonnulla tetigerim, quae huc spectant, et quum Piersonus l. l. singillatim in omnibus locis, quos quidem recensuit, disertissimis verbis de hac re egerit.

De trajectione praepositionum.

Collocatio praepositionum earum, quae nominibus additae sunt, tam varia est apud Pindarum, ut ea tantum eligamus, quibus poëta a vulgari collocatione maxime recedit. De trajectione igitur vel transpositione praepositionum agamus atque primum videamus, quas voces Pindarus inter praepositionem et nomen interposuerit, servato tamen vulgari loco praepositionis, qui est ante nomen. Interponuntur autem primum adjectiva et genetivi attributivi; quae res huc non pertinet, quum ex inversione substantivi et attributi orta sit, substantivum vero eiusque attributum unam efficiant notionem, quo fit ut praepositio suum locum teneat, ante verba eius notionis cui ipsa re vera juncta est. Tum vero alia vocabula inter praepositionem eiusque casum interponuntur, quae notioni nominis non inhaerent. Ex quibus primum locum tenent particulae τέ, μέν, δέ, γάρ, γέ, τοί, quibus saepissime praepositio a nomine separatur; affero haec exempla, Pyth. IV, 290: ἀπὸ γᾶς ἀπό τε κτεάνων, Pyth. I, 75: ἀρέομαι πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δέ . . ., Pyth. II, 84: φίλον εἴη φιλεῖν· ποτὶ δ' ἐχθρὸν ἅτ' ἐχθρὸς ἐὼν ὑπο-

θεύσομαι, Pyth. IV, 68: *μετὰ γὰρ κεῖνο πλευσάντων* . . ., Nem. III, 18: *καματωδέων δὲ πλαγᾶν ἄκος ὑγιηρὸν ἔν γε βαθυπέδῳ Νεμέᾳ τὸ καλλίνικον φέρει*, Pyth. I, 69: *σύν τοι τίν κεν ἁγητὴρ ἀνὴρ* . . . Priores quatuor particulae, *τέ, μέν, δέ, γάρ*, jam natura sua locum exposcunt, qui est fere in fronte enuntiati, sed etiam *γέ* et *τοί*, quoad fieri potest, principalem locum in initio enuntiati amant, ideoque si ea notio, quam extollunt vel affirmant, ex compluribus vocabulis, seu articulo et substantivo, seu praepositione et substantivo, composita est, saepe jam priori vocabulo adduntur: *τήν γ' ἐμήν, ἔν γε Νεμέᾳ**). Hac interpositione particularum nihil efficitur, nisi quod ipsae particulae efficiunt; unam *τοί* exceperim, quae ipsa gravior est quam ut separata vocabula non extollat; cf. Ol. II, 90. Pyth. I, 69. Eodem modo compluribus particulis interpositis et praepositio et nomen magis extolluntur quam simplicibus particulis *δέ, τέ, γέ*, al. Cf. Pyth. IV, 121: *ἐκ δ' ἄρ' αὐτοῦ πομφόλυξαν δάκρυα γλεφάρων*, Fragm. 88 [100]: *ἐν δ' ἄρα καὶ Τενέδῳ Πειθώ τ' ἔναιεν καὶ Χάρις*, Pyth. III, 96: *ἐν δ' αὖτε χρόνῳ*. — Accedimus ad particulam *καί*, quae sexies apud Pindarum praepositionem et nomen separat. Distinguendi autem sunt loci, quibus *καί* vim copulandi habet, ab eis locis, quibus vim intendendi habet; nam in diverso hoc usu diversa est particulae collocatio. Priorem usum videmus Ol. VII, 26: *τοῦτο δ' ἀμάχανον εὑρεῖν, ὅ τι νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ φέρτατον ἀνδρὶ τυχεῖν*, et Pyth. X, 58: *θαητὸν ἐν ἅλιξι θησέμεν ἐν καὶ παλαιτέροις*. Utroque loco alterum mebrum (*ἐν τελευτᾷ, ἐν παλαιτέροις*) interposita particula valde extollitur atque particula significare videtur fere: **atque etiam** **). Tum

---

*) Cf. quae Baeumlein. Untersuch. über griech. Partikeln, p. 67 de particula *γέ* dixit.

**) Sic Hauptius quoque in observationibus criticis, Lips. 1841, rem intellexisse videtur; cf. G. Hermanni recensionem huius libelli in Jahnii Annalibus, Tom. XXXIII (a. 1841), p. 256. Legendus etiam Rauchenstein. in comm. Pind. part. II, p. 28, qui recte tuetur in

καί non ad conjungendas duas notiones, sed ad intendendam aliquam notionem inservit his locis, Ol. VI, 24: *ὄφρα ... ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν καὶ γένος*, Pyth. IV, 186: *ἐπὶ καὶ θανάτῳ φάρμακον κάλλιστον ἑᾶς ἀρετᾶς ἅλιξιν εὑρέσθαι σὺν ἄλλοις*, Fragm. 88 [100]: *ἐν δ' ἄρα καὶ Τενέδῳ Πειθώ τ' ἔναιεν καὶ Χάρις*. In his omnibus *καί* ante ipsam eam vocem positum est, ad quam extollendam et intendendam inservit*), itaque huic voci multo maiorem vim tribuit, quam si ex vulgari usu collocata essent *καὶ πρὸς ἀνδρῶν γένος*, *καὶ ἐπὶ θανάτῳ*. Accedit his quartus locus diversus ab illis, qui extat Ol. II, 28: *λέγοντι δ' ἐν καὶ θαλάσσᾳ ... βίοτον ἄφθιτον Ἰνοῖ τετάχθαι*, nam hic particula *καί* non ad vocem *θαλάσσᾳ* spectat, sed ad universam enuntiationem: *dicunt etiam ...*; quam ob rem collocatio particulae hoc loco etiam magis notabilis est quam ceteris. Denique Pyth. I, 35 Hermannus restitui voluit hoc: *ἐοικότα δ' ἐν καὶ τελευτᾷ φερτέρου νόστου τυχεῖν*, de quo loco quod sentiam sub textu demonstravi**). — Rursus aliud est genus hyper-

---

altero loco lectionem *ἐν καὶ παλαιτέροις* contra Hermanni *ἐν τ' αὖ παλαιτέροις*.

*) De Ol. VI, 24 v. Boeckh.

**) Pyth. I, 33 sqq.

ναυσιφορήτοις δ' ἀνδράσι πρῶτα χάρις
ἐς πλόον ἀρχομένοις πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον· ἐοικότα γὰρ
καὶ τελευτὰν φερτέραν νόστου τυχεῖν. Sic Boeckhius.

De sententia huius loci dubitari non potest. Nam poëta haec dicit: *navigantibus prima est gratia, quum ineuntibus (cursum) secundus ventus in cursum venerit; nam veri est simile, etiam finem navigationis, reditum, felicem esse.* Codices *κἂν τελευτᾷ*, *ἐν καὶ τελευτᾷ*, *καὶ τελευτάν*, *καὶ τελευτᾷ*, tum aut *φερτέρου νόστου* aut *φέρτερα νόστου*. In eo, quod Boeckhius scripsit: *καὶ τελευτὰν φερτέραν νόστου τυχεῖν*, *probabile videtur fore ut finis etiam reditus melior contingat*, tolerari non potest ellipsis dativi *αὐτοῖς*. Nam absolutam vim verbum *τυγχάνειν* apud Pindarum non ascivit. Boeckhius quidem ad probandam suam sententiam affert Pyth. II, 90 sqq.: *στάθμας δέ τινος ἑλκόμενοι περισσᾶς ἐνέπαξαν ἕλκος ὀδυναρὸν ἑᾷ πρόσθε καρδίᾳ, πρὶν ὅσα φροντίδι μητίονται τυχεῖν.* At hoc loco subjectum ad vb. *τυχεῖν*

bati, ubi praepositio et nomen adverbiis, qualia sunt *ποτ έ*, *ἄλλοτε*, *θαμά*, *κρυφά*, separantur; qua re adverbiis aliqua vis tribuitur. Huius generis loci sunt Pyth. II, 33: *μεγαλοκευθέεσσιν ἔν ποτε θαλάμοις*, Nem. VIII, 18: *ποντίᾳ ἔν ποτε Κύπρῳ*, Pyth. X, 54: *ἐγκωμίων γὰρ ἄωτος ὕμνων ἐπ' ἄλλοτ' ἄλλον ὥτε μέλισσα θύνει λόγον*, ubi animadvertendum est ad voces eiusdem stirpis *ἄλλοτ' ἄλλον*, Ol. I, 17: *οἷα παίζομεν φίλαν ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν*, Nem. IX, 33: *αἰδὼς γὰρ ὑπὸ κρύφα κέρδει κλέπτεται*. — Quum fere in nullo eorum locorum, quos hucusque commemoravimus, hyperbaton magnam aliquam vim habuisse viderimus, nunc restant loci, quibus hac interpositione alicuius vocabuli re vera magnum efficitur. Hoc enim fit interposita voce gravi et significanti; nam tali voce praepositio et nomen magis divelluntur quam particulis vel adverbiis, atque ita et praepositio et nomen et vox interposita, quaeque ipsa per se percipienda et intellegenda, summa vi tribuuntur. Huc pertinent Ol. I, 17: *ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου λάμβανε**), Ol. VI, 54: *ἀλλ' ἐν κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ βατίᾳ τ' ἐν ἀπειράτῳ***),

---

ex eis, quae praecedunt, petendum est, ita ut *ὅσα — μητίονται* objectum sit; est igitur: *inflixerunt sibi vulnus, priusquam quae moliuntur consecuti sunt*. Eodem modo in illo loco, de quo agimus, ad vb. *τυχεῖν* subjectum petendum est ex eis quae praecedunt: *αὐτούς*, sc. *νανσιφορήτους ἄνδρας*. Quod quum ita sit, desideratur genetivus objecti, qui indicat, quam rem navigantes homines veri simile est consecuturos esse. Scribendum igitur: *ἐοικότα γὰρ καὶ τελευτᾶς φερτέρας νόστου τυχεῖν*, *veri enim simile est, etiam finem reditus feliciorem eos consecuturos esse*. Cfr. Schol.: *ἐοικὸς γὰρ καὶ πρέπον ἐστὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἀγαθῆς ἀρξάμενον τούτου καὶ τέλους ενδόξου τεύξασθαι*. De dictione *τελευτὰ νόστου* vide locos quos pag. 58 ad expl. Ol. XIII, 83 attuli, imprimis Nem. III, 25: *νόστου τέλος*. Ad comparativum *τελ. φερτέρας* cf. Fragm. 75 [85]: *τελευταί τε καλλίονες*. Denique duplicem genetivum, altero ab altero pendente, tuentur permulti loci Pindarici; cf. Ol. I, 50. III, 33. 37. VIII, 45. XIII, 28. Pyth. IV, 255. IX, 39. Isthm. I, 51. V, 3. 53 sq.

*) Cf. Pierson. l. l. p. 380.

**) Cf. Boeckh. nott. critt. ad h. l.

Pyth. IV, 24: *ἀνίκ' ἄγκυραν ποτὶ χαλκόγενυν ναὶ κρημνάντων*, ib. 239: *πρὸς δ' ἑταῖροι καρτερὸν ἄνδρα φίλας ὤρεγον χεῖρας.* —

Accedimus ad id genus hyberbati, ex quo praepositio ei notioni, cui juncta est, postponatur. Dico anastropham praepositionis. Haec vox anastrophae duplicem usum iniit, primum enim significat ipsam illam praepositionis collocationem, tum vero accentus mutationem in praepositione sic transposita; in praepositionibus enim dissyllabis accentus in priorem syllabam retrahitur et monosyllabae, in vulgari collocatione accentu non praeditae, postpositae acutum asciscunt. Quod de ea causa fieri videtur, ut quantum praepositio cum voce, quae ei praecedit, in unum conjungenda sit indicetur. Quare ab hoc genere transpositionis prorsus distinguendum est istud genus, ex quo praepositio media inter substantivum eiusque attributum collocata est; nam ubi hoc fit, praepositio non voci quae praecedit modo, sed etiam aequo modo sequenti voci jungenda est. Atque etiam alterum quoddam genus, et id quidem verae anastrophae, hoc loco praetermittimus, ut infra fusius de eo agamus. His autem neglectis perrara sunt apud Pindarum exempla praepositionum postpositarum;

ἀπό in anastropha extat Ol. III, 9: *τᾶς ἄπο*, Pyth. V, 8: *βαθμίδων ἄπο*, Nem. III, 9: *μήτιος ἁμᾶς ἄπο*, Nem. VI, 67: *ἀγώνων ἄπο*,

κατά Isthm. V, 8: *Αἴγιναν κάτα*,

ὑπέρ Nem. VII, 42: *κρεῶν νιν ὑπὲρ μάχας ἔλασεν ἀντιτυχόντα* (constr. *ἔλασέν νιν ἀντιτυχόντα μάχας ὑπὲρ κρεῶν*), Isthm. V, 3: *γενεᾶς ὕπερ*, Fragm. 70 [77. 78]: *ὀρέων ὕπερ*,

περί Nem. V, 47: *ἐσλοῖσι μάρναται περί*, Nem. X, 85: *κασιγνήτου πέρι*,

μετά Pyth. V, 94: *ἀνδρῶν μέτα*, Fragm. 74 [84]: *ὀλοφυρομένων πάντων μέτα*,

ἐπί Pyth. V, 93: *πρυμνοῖς ἀγορᾶς ἔπι*, Pyth. VIII, 89: *ἁβρότατος ἔπι*,

denique, si quidem conjecturam nostram p. 14 et 51 propositam probaveris, ἐκ Ol. XII, 12: πήματος ἐκ, quod praeter Nem. VII, 31: ἀδόκητον ἔν, de quo v. infra, concedo unicum exemplum esse monosyllabae praepositionis apud Pindarum postpositae*). — Duobus eorum locorum, quos modo ascripsi, praepositio non postposita modo, sed etiam a casu suo sejuncta est, Nem. VII, 42: κρεῶν νιν ὑπέρ et Nem. V, 47: ἐσλοῖσι μάρναται περί. Ex eis, quae supra de causa retrahendi accentus notavimus, manifestum est his locis accentum retrahi non posse; habemus igitur praepositionis anastropham, non vero accentus. Neque vero idem fit, ubi inter substantivum et praepositionem adjectivum vel genetivus attributivus collocantur; nam hic substantivum eiusque attributum unam efficiunt notionem, cui universae praepositio postponitur; retraximus igitur accentum et Nem. III, 9: μήτιος ἀμᾶς ἄπο et Pyth. V, 93: πρυμνοῖς ἀγορᾶς ἔπι. — Adiciam huic dissertationis parti, ut plenus sim, eos locos ubi praepositio a verbo suo separata anastropham patitur. Sunt hi quatuor, Ol. I, 49 (n. 18 in enumeratione locorum quibus tmesis extat): τάμον κάτα, Ol. III, 6 (n. 30): ζευχθέντες ἔπι, Pyth. V, 124 (n. 34): δόμεν γέρας ἐπί, Pyth. IX, 124 (n. 36): δίκον φύλλ' ἐπί. Posterioribus duobus locis accentum praepositionis ἐπί retrahi posse non puto eadem de causa, quare paullo ante substantivo et praepositione sejunctis accentum non retraximus.

Sejunximus supra ab anastrophae genere id genus hyperbati, ex quo praepositio media inter substantivum eiusque attributum collocata est. Quam arcte sequenti quoque voci in hac collocatione praepositio annectenda sit, comparet ex eis locis, quibus substantivum et praepositio aliis vocabulis separantur, attributum vero praepositionem ipsam sequitur; cf. Ol. VII, 91: πατέρων ὀρθαὶ φρένες ἐξ ἀγαθῶν,

---

*) Apud Homerum ἐκ non semel postpositum extat, cf. Od. X, 96: πέτρης ἐκ πείσματα δήσας.

Pyth. III, 38: *τείχει θέσαν ἐν ξυλίνῳ*, Nem. III, 4: *ὕδατι γὰρ μένοντ' ἐπ' Ἀσωπίῳ*. Hoc vero nusquam fit, ut substantivum praepositio sequatur, tum vero attributum aliis vocabulis disjungatur. Magna autem erat dissensio jam inter veteres grammaticos de accentu praepositionis sic collocatae aut retrahendo aut non retrahendo*). Atque etiam hodie de hac re valde dubitatur et in omnibus Pindari editionibus magna discrepantia in hac re esse videtur. Quam difficillimam quaestionem obiter tantum tangere conatus sum. —

Iam pervenimus ad postreman huius dissertationis partem, ad collocationem praepositionis, cui duo vel plura nomina adjuncta sunt. Ubi hoc fit, vulgaris est usus, praepositionem semel tantum et quidem ante prius nomen collocari; quo fit ut nomina praepositioni nexa in unum arcte conjuncta et in pari gradu collocata videantur. Si ea particulis *τέ — τέ* vel *τέ — καί* inter se nexa sunt, nonnunquam prius *τέ* inter praepositionem et prius nomen collocatur; cuius usus exemplum extat Isthm. VII, 57: *παρά τε πυρὰν τάφον τε*. — Si vero praepositio bis ponatur, et ad prius et ad alterum nomen, plerisque huius modi locis certae causae praepositionis iteratae inveniri posse videntur. Nam primum praepositio iterari solet, ubi ea apud utrumque nomen diversam significationem habet (cf. Nem. IX, 44: *ἐκ πόνων δ' οἳ σὺν νεότατι γένωνται σύν τε δίκᾳ, τελέθει πρὸς γῆρας αἰὼν ἁμέρα*), vel etiam ubi sensu quidem eodem dicta est, sed universa dictio in altero membro propria, in altero translata est (cf. Ol. VI, 43: *ἦλθεν δ' ὑπὸ σπλάγχνων ὑπ' ὠδῖνός τ' ἐρατᾶς Ἴαμος ἐς φάος* — v. p. 64 —, Pyth. IV, 161: *ἐκ πόντου σαώθη ἔκ τε ματρυιᾶς ἀθέων βελέων*). Tum praepositionem iteratam videmus, ubi eius notioni magna vis tribuitur, e. g. Ol. XIII, 83: *τελεῖ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ὅρκον καὶ παρὰ*

---

*) Cf. Reiz. de pros. gr. acc. incl. p. 124 sq., Thiersch. Gr. §. 279, 9.

ἐλπίδα κούφαν κρίσιν (v. p. 58), Pyth. IV, 290: καὶ μὰν κεῖνος Ἄτλας οὐρανῷ προςπαλαίει νῦν γε πατρῴας ἀπὸ γᾶς ἀπό τε κτεάνων (v. p. 7). Deinde in enumerando eadem res invenitur (cf. Ol. IX, 68: ἀφίκοντο δέ οἱ ξένοι ἔκ τ' Ἄργεος ἔκ τε Θηβᾶν, οἱ δ' Ἀρκάδες, οἱ δὲ καὶ Πισᾶται, Pyth. III, 87: αἰὼν δ' ἀσφαλὴς οὐκ ἔγεντ' οὔτ' Αἰακίδᾳ παρὰ Πηλεῖ, οὔτε παρ' ἀντιθέῳ Κάδμῳ), denique ubi alterum nomen super prius extollitur (cf. Ol. VII, 90: δίδοι τέ οἱ αἰδοίαν χάριν καὶ ποτ' ἀστῶν καὶ ποτὶ ξείνων, Nem. VIII, 13: ἱκέτας Αἰακοῦ σεμνῶν γονάτων πόλιός θ' ὑπὲρ φίλας ἀστῶν θ' ὑπὲρ τῶνδ' ἅπτομαι).

Redeamus ad usum supra memoratum, ex quo praepositio non ad utrumque nomen iteratur, sed semel ponitur. Atque quum supra vulgarem usum vidimus esse eum, ex quo praepositio semel posita ante prius nomen collocatur, fit etiam ut ea priori nomini per anastropham postponatur itaque inter utrumque nomen, cui nexa est, locum habeat; et hoc anastrophae genus est id, quod supra ubi de anastropha disseruimus ad hunc locum reposuimus. Elegantissimam hanc verborum collocationem quinque Pindari loci praebent, Ol. II, 34: ῥοαὶ δ' ἄλλοτ' ἄλλαι εὐθυμιᾶν τε μέτα καὶ πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν, ubi neque cum Boeckhio jungendum μετέβαν (cf. p. 50) neque cum Dissenio ῥοαὶ εὐθυμιᾶν καὶ ῥοαὶ μετὰ πόνων, sed ῥοαὶ μετά τε εὐθυμιᾶν καὶ μετὰ πόνων, Ol. III, 37: ἀγῶνα νέμειν ἀνδρῶν τ' ἀρετᾶς πέρι καὶ ῥιμφαρμάτου διφρηλασίας (= περί τ' ἀνδρῶν ἀρετᾶς καὶ περὶ ῥ. δ.), Nem. III, 84: Νεμέας Επιδαυρόθεν τ' ἄπο καὶ Μεγάρων δέδορκεν φάος, ad quem locum cf. Dissen. in ed. Boeckh. et Goth., Nem. VII, 31: ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται κῦμ' Ἀΐδα, πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα, Nem. IX, 29: πεῖραν — ταύταν θανάτου πέρι καὶ ζωᾶς ἀναβάλλομαι. His sextum locum, Ol. IX, 17, adiciam quo fere eandem praepositionis collocationem videbis, emendatione probata quam propositurus sum. In codicibus fere omnibus verba, de quibus agam, haec leguntur: θάλ-

λει δ' ἀρεταῖς ἴσον τε Κασταλίᾳ παρ' Ἀλφειοῦ τε ῥέεθρον, pro ἴσον Pal. C et Vrat. A praebent ἶσον, multi interpolati codices ἴσσον, pro Ἀλφειοῦ Par. A, Gott., Aug. B, Vat. A: Ἀλφεοῦ. Codicum lectione servata vulgo scribebatur ab editoribus:

θάλλει δ' ἀρεταῖς ἴ-
σον τε Κασταλίᾳ παρ' Ἀλ-
φειοῦ τε ῥέεθρον.

Quum vero vocabulorum in fine versus positorum divisionem metri ratio vetet, Boeckhius sic scribendum curavit:

θάλλει δ' ἀρεταῖσιν	– –́ ⏑ ⏑ – ⏑
ἔν τε Κασταλίᾳ παρὰ	– ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ –
Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον.	– –́ ⏑ ⏑ – ⏑

Quam emendationem vir doctissimus fecit ex grammatica ratione, ex qua praepositio ad dativum Κασταλίᾳ desideratur et ex Scholiasta vetere, cuius verba sunt haec: βρύει δὲ καὶ αὔξεται ταῖς ἀρεταῖς τῆς νίκης ἡ Ὀποῦς, ἔν τε τῇ Κασταλίᾳ πηγῇ ἐν Πυθοῖ, καὶ ἐν ταῖς τοῦ Ἀλφειοῦ ποταμοῦ τουτέστιν ἐν Ὀλυμπίᾳ. At primum vereor ut ἐν Κασταλίᾳ propinquitatem Castaliae fontis significet; nam si Pindarus propinquitatem fluminis vel fontis significaturus est, ubicunque praepositionibus aut παρά (dat.: Ol. I, 20. VII, 15. XI, 85. Pyth. III, 34. IV, 46. Nem. VI, 42. XI, 24. Isthm. I, 29. VII, 19; acc.: Pyth. I, 67. 79. Nem. XI, 36), aut ἐπί (dat.: Ol. III, 22. XIII, 35. Pyth. IV, 163. XII, 2. Nem. III, 4. IX, 9. 22. Isthm. IV, 33), aut ἀμφί (dat.: Ol. XIII, 63. Nem. IV, 85. IX, 40) utitur. Neque praetermitti licet quod in ceterarum stropharum et antistropharum hoc lōco basis ubique spondaica est; voculae autem ἔν τε trochaeum efficiunt; quamquam hoc leve est argumentum. Tum in scholio illo, ex quo Boeckhius emendationem suam conformavit, de voce ἴσον quidem nihil legitur; attamen facile intellegi potest, Boeckhii scripturam ex eo explicari non posse; ostendit potius, ut opinor, praepositio ἐν bis posita, in codice, quem Scholiasta habuerit, et Castaliam et Alpheum ex una eademque praepo-

sitione pependisse. Quae alia esse non potest nisi *παρά*. Idem ostendit scholion vetus ex Vrat. A, quod in editione Boeckhiana tertio loco legitur: *τὸ δὲ ἴσον ἀντὶ τοῦ κοινῶς, παρά τε τὸ* [*ἴσον* hic interpositum delendum est] *ῥέεθρον Κασταλίας καὶ τὸ τοῦ Ἀλφειοῦ*, ubi utrumque nomen, *Κασταλίας* et *Ἀλφειοῦ*, ex praepositione *παρά* pendent. Simul ostendit idem scholion, *ἴσον* veterem esse lectionem. Genetivum autem *Κασταλίας* scriptum fuisse et ex hoc et ex altero scholio comparet, quod apud Boeckhium secundum locum tenet et haec verba exhibet: *θάλλει ταῖς ἀρεταῖς τῆς Κασταλίας, ἀντὶ τοῦ τῆς Πυθοῦς.* Quamquam hic genetivi ratio non recte percepta est. Si igitur trium scholiorum verba inter se comparamus, veterem lectionem comparet fuisse hanc: *θάλλει δ' ἀρεταῖς* (vel *ἀρεταῖσιν*) *ἴσον Κασταλίας τε παρ' Ἀλφε*[*ι*]*οῦ* (vel *παρὰ Ἀλφε*[*ι*]*οῦ*) *τε ῥέεθρον*. Prius *τέ* post *ἴσον*, ubi in codicibus legitur, locum habere non potest; si scriptum fuit, post *Κασταλίας* fuit. Haec autem verba aliter in versus describi non possunt nisi hoc modo:

θάλλει δ' ἀρεταῖσιν
ἴσον Κασταλίας τε παρ'
Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον.

Nihil huic descriptioni obstare videtur praeter numerum vocis *ἴσον*, cuius in loco spondeus postulatur, quum basis spondaica nusquam apud Pindarum iambo cedat. Nam prior syllaba vocis *ἴσον* apud Homerum et Hesiodum quidem ubicunque longa, apud tragicos vero et Pindarum ubicunque brevis est. Excipiuntur ex hac lege composita vocabula, in quibus illa syllaba modo brevis modo longa est. In Pindari carminibus legis Nem. IV, 84: *ἐργμάτων βασιλεῦσιν ῑσοδαίμονα τεύχει*, et Fragm. 146 [142]: *ῑσοδένδρου τέκμαρ αἰῶνος λαχοῖσαι* *). Attamen nimis au-

*) Aeschyli locus ex Salaminiis, Fragm. 212 ed. Nauck., injuria usurpatur (in Steph. thes. s. v.), ut ex tragico probetur primam syllabam vocis *ἴσος* produci posse; ibi enim legitur: *εἴ μοι γένοιτο φᾶρος ἴσον*

dacter agi non puto, si in eo loco quem tractamus simplici quoque vocabulo *ἴσον* syllabam longam vindicemus. Ego quidem aliam viam iniri posse non video, quae ad finem nos perducat. Accedit hoc quoque, quod scriptura *ἶσον,* quae in codice egregio Pal. C et in cod. Vrat. A legitur, atque interpolatorum librorum scriptura *ἴσσον,* quo modo ortae sint explicari non potest, nisi statuamus in codicibus, ex quibus illi descripti sunt, ab voce *ἴσον* versum incepisse atque particulam *τέ* post *ἴσον* non scriptum fuisse. Quibus expositis de ipsa structura et collocatione praepositionis, a qua discessimus, agamus. Est autem praepositionis collocatio eadem, quam in quinque illis locis vidimus, quibus hunc locum adjecimus; praepositio post prius nomen, cui jungenda est, media inter utrumque nomen collocata est; in eo autem hic locus ab illis differt, quod prius membrum orationis non est plenum; nam accusativus *ῥέεθρον* in altero membro positus ad prius quoque referendus est: *παρά τε ῥέεθρον Κασταλίας παρά τε Ἀλφεοῦ ῥέεθρον.* Quacum vulgari verborum collocatione conferas nunc artificiosam quidem sed elegantissimam conformationem, quae est vatis Thebani: *Κασταλίας τε παρ᾽* | *Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον.* De apostropho in fine versus v. Boeckh. de metr. Pind. p. 318; hoc loco minime est, cur in eo offendamus, quia praepositio alterum versum cum altero arctissime conjungit. Similem ac nos verborum collocationem H. L. Ahrensius restituere conatus est*): *θάλλει δ᾽ ἀρεταῖσιν* | *ἶσον Κασταλίας τε πὰρ* | *Ἀλφεοῦ τε ῥεέθρων = παρὰ Κασταλίας καὶ παρὰ ῥεέθρων Ἀλφεοῦ,* sed in eo maxime errat, quod *παρά* cum genetivo conjunxerit, quod, si praepositio propinqui-

ἐν οὐρανῷ (Herodian. *π. μον. λέξ.* p. 26, 22), in quo versu quartus pes tribracho numero legendus est; nam anapaestus in quinto trimetri jambici pede locum non habet nisi in nominibus propriis, sicuti Soph. Oed. Col. v. 1. Reicienda igitur est etiam G. Hermanni emendatio (cf. Aesch. Fragm. 200 ed. Dindorf.), qui scribendum jubet: *εἴ μοι γένοιτο φᾶρος οἷον ἐν οὐρανῷ.*

*) Philol. XVI, p. 53.

tatem loci significat, non fit nisi in translata dictione *τὸ πὰρ πόδος* (cf. p. 57); neque apocopata praepositio *πάρ* recte sese habet, quum apocope locum non habeat nisi ante consonantes literas*).

Quum in omnibus locis hucusque nominatis praepositio semel tantum posita priori nomini addita esset, sive ex vulgari usu ante id collocata sive per anastropham ei postposita, jam ad eum usum accedimus, ex quo praepositio apud prius nomen omissa posteriori additur. Quam praepositionis collocationem, ex Theocrito ceterisque Alexandrinis poëtis notissimam, inter poëtas prioris aetatis nemo magis amavisse videtur quam Pindarus. Inveni non minus sedecim locos, quibus ea usus est. Quorum in ordinem non referendi sunt loci, qualis est hic, Isthm. VII, 35: *τεκεῖν — Δί τε μισγομέναν ἢ Διὸς παρ' ἀδελφεοῖσιν,* ubi verbum *μισγομέναν* cum altero membro *Διὸς παρ' ἀδ.* prorsus non conjungendum est, cf. Dissen. His similibusque locis si quis illam praepositionis collocationem statueret, aeque falsus esset, ac si quis Ol. VII, 25: *τὸ μὲν γὰρ πατρόθεν ἐκ Διὸς εὔχονται· τὸ δ' Ἀμυντορίδαι ματρόθεν Ἀστυδαμείας* praepositionem *ἐκ* etiam ad genetivum *Ἀστυδαμείας*

---

*) Adiciam alias quasdam conjecturas, quibus viri docti in restituendo hoc loco sese exercuerunt. Ac primum Ahlwardtius scripsit: *θάλλει δ' ἀρεταῖσιν | ἴσα τε Κασταλίᾳ, παρ' Ἀλφειοῦ τε ῥέεθρον,* at hoc metrum vetat quum basis tribrachica in hoc carmine nusquam pro spondaica posita sit. C. L. Kayserus (lectt. Pind. p. 24) proposuit *θάλλει δ' ἀρεταῖσιν | κράναν Κασταλίας παρὰ | Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον*, Rauchensteinius (comm. Pind. I, p. 8 sq.): *αἰεὶ Κασταλίαν πάρα | Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον*, quae conjecturae non sese commendare videntur. Ingeniose vero scripsit Th. Bergkius:

θάλλει δ' ἀρεταῖσιν
σόν τε, Κασταλία, παρὰ
Ἀλφεοῦ τε ῥέεθρον,

attamen hoc quoque displicet, quum causa non sit cur poëta Castaliam ita extollat prae Olympia, praesertim in carmine Olympico; ubi vero poëta figura *ἀποστροφῆς* utitur, semper est certa causa, qua commotus rem, quam alloquitur, prae ceteris extollat.

referret. Haec enim est certa lex illius verborum collocationis, quod nomina ea, quibus praepositio juncta est, juxta et in pari gradu posita sint neque alterum ab altera notione pendeat. Jamjam est ut recenseamus locos qui huc pertinent:

Ol. VIII, 47: *Ξάνθον ἤπειγεν καὶ Ἀμαζόνας εὐίππους καὶ ἐς Ἴστρον ἐλαύνων*,

Pyth. VIII, 99: *Δὶ καὶ κρέοντι σὺν Αἰακῷ*,

Nem. X, 53: *Ἑρμᾷ καὶ σὺν Ἡρακλεῖ*,

Fragm. 206 [176]: *Θήβαν ἔτι μᾶλλον ἐπασκήσει θεῶν καὶ κατ᾽ ἀνθρώπων ἀγυιάς*, ubi accusativus *ἀγυιάς* ad *θεῶν* quoque referendus est, simili modo atque in loco supra tractato Ol. IX, 17, —

Ol. VII, 12: *ἄλλοτε δ᾽ ἄλλον ἐποπτεύει Χάρις ζωθάλμιος ἁδυμελεῖ θαμὰ μὲν φόρμιγγι παμφώνοισί τ᾽ ἐν ἔντεσιν αὐλῶν*,

Pyth. II, 11: *ξεστὸν ὅταν δίφρον ἔν θ᾽ ἅρματα πεισιχάλινα καταζευγνύῃ σθένος ἵππιον*,

Pyth. IV, 130: *πέντε νύκτεσσιν ἔν θ᾽ ἁμέραις*,

Pyth. V, 70: *Λακεδαίμονι ἐν Ἄργει τε καὶ Πύλῳ*,

Pyth. XII, 9: *θρῆνον, τὸν παρθενίοις ὑπό τ᾽ ἀπλάτοις ὀφίων κεφαλαῖς ἄϊε λειβόμενον*, cf. locus modo laudatus Fragm. 206 [176].

Nem. IX, 14: *φεῦγε γὰρ Ἀμφιάρηόν τε θρασυμήδεα καὶ δεινὰν στάσιν πατρῴων οἴκων ἀπό τ᾽ Ἄργεος*,

Nem. IX, 22: *ἱκέσθαι χαλκέοις ὅπλοισιν ἱππείοις τε σὺν ἔντεσιν*,

Isthm. VI, 41: *ἔπειμι γῆρας ἔς τε τὸν μόρσιμον αἰῶνα*, —

Pyth. I, 14: *ἀτύζονται βοὰν Πιερίδων ἀΐοντα, γᾶν τε καὶ πόντον κατ᾽ ἀμαιμάκετον*,

Pyth. II, 59: *κτεάτεσσί τε καὶ περὶ τιμᾷ γενέσθαι ὑπέρτερον*,

Nem. X, 38: *Χαρίτεσσί τε καὶ σὺν Τυνδαρίδαις*,

Isthm. I, 29: *ῥεέθροισί τε Δίρκας ἔφανεν καὶ παρ Εὐρώτᾳ*,

Fragm. 60 [67]: *Χαρίτεσσί τε καὶ σὺν Ἀφροδίτᾳ*.

Nonnullis quidem horum locorum, Ol. VII, 12. Pyth. IV, 130. Nem. IX, 22. Isthm. VI, 41, summi potest, praepositionem re vera non nisi ad alterum nomen referendam atque prius nomen per se intellegendum esse. Attamen hoc non credo; nam omnibus his locis utrumque nomen tam parem vim in conexu sententiae habet, ut causa non compareat, qua commotus poëta alteri praepositionem addiderit, alteri non addiderit. Itaque praepositio ad utrumque nomen referenda videtur. Denique locum affero, qui extat Pyth. IV, 10, ubi numerus ordinalis *ἕβδομος καὶ δέκατος* ita separatus est, ut praepositio ad universum referenda ante posteriorem demum numeri partem collocata sit: *ἑβδόμᾳ καὶ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ*, quod est pro *σὺν ἑβδόμᾳ καὶ δεκάτᾳ γενεᾷ*. — Universam hanc rem de praepositione alteri nomini addita obiter tetigit O. Goram. obss. in aliquot Pindari locos, Merseburg. 1851, p. 18, atque G. Bernhardyum (Syntax. p. 202) secutus non agnoscit hanc collocationem nisi paucis Pindari locis; amare enim, ait, Pindarum nudos nominum casus et praepositiones simili in causa juxta collocare. Fateor quidem, quod jam supra feci, nonnullis huius modi locis dubium esse posse, utra structura praeferenda sit, sed hi loci tam pauci sunt, ut eos quoque ceterorum ordini ascribere malim. Atque testem cito elegantissimae huius verborum collocationis valde locupletem Dissenium, qui ad Nem. X, 38 haec scripsit: *Denique semel notanda praepositio ante secundum demum substantivum posita, veluti παρά Isthm. I, 29 al. Quum enim in continuata constructione facilius languescat oratio, hoc artificio nova vis et alacritas secundo membro conciliatur, eaque vera causa est huius collocationis, quae nescio quomodo displicet V. D. Bernhardy Syntax. p. 202.*

Conspectus.

Index emendationum.